MENASSEH BEN-ISRAEL ... DE RESURRECTIONE MORTUORUM, LIBRI TRES. 1...

Manasseh : ben Israel

MENASSEH BEN-ISRAEL
Doctissimi Rabbini

DE RESURRECTIONE MORTUORUM,

LIBRI TRES.

1. *De Animæ Immortalitate & Corporis Resurrectione contra Zaducæos.*
2. *De Causis Miraculosæ Resurrectionis.*
3. *De Mundo eorum qui a Mortuis Resurrexerunt.*

Ex Sacris literis & veteribus Rabbinis eruti.

Editio Secunda.

GRONINGÆ,
Ex Officina Æmilii Spinnikir, 1676.

Deus Opt. Max. magis magisque benedicat laboribus ac studiis vestris tum quos privatim suscipitis, tum quos in florentissimæ hac Rep. publico nomine sustinetis.

SERIES CAPITUM
LIBRI PRIMI.

Cap.

In librum

Clariſſimi, pariterque eruditiſſimi Domini Menaſſeh,

De Reſurrectione Mortuorum,

Epigramma.

ERuis é tumulis, queis mors atque aſpera fati
Conditio, humanas fecerat exequias,
Eruis é tumulis, quos quondam prima parentis
Mortales vitii, fecerat eſſe lues.
Eruis é tumulis defuncta cadavera, per te
Corpora vitam iterum, quam tueantur habent.
Quod mortale fuit, facis immortale Manaſſe
Et per te extinctis vita ſecunda datur.
Matre reſurgebat tracta ſic fortior Antheus,
Vividius generat terra cadaver humo.
Quis dubitat, quin tu ſis nunc victurus in ævum
Cum ſcriptis vitam, quam tibi, des aliis?

Amicus.

EPI-

EPIGRAMMA

IN

TRACTATVM

Clarissimi viri Menassis Ben-Israel,

DE

RESURRECTIONE MORTUORUM.

Quem juvat admissos olim cognoscere ritus,
Gestaque in hostili bella Latina solo:
Quid Zeno, Empedocles, & cum Thalete quid ingens
Dicat Aristoteles, Socraticusque Plato:
Nunc quoque de suavi vitæ remeabilis aura,
Accipe, Talmudici quæ statuere patres:
Quomodo Gamaliel, Simai, conetur & Hillel,
Turpe Zaducceæ tollere dogma scholæ:
Cur eadem longo consumptis ossibus ævo
Vi superum sola restituenda caro:
Quæ mundi facies, quæ forma futura, quis ordo,
Vitaque quo felix sit peragenda loco.
Singula quæ noster populos dum perdocet autor,
Ipse suo fretus dogmate surgat humo.

Ant. Zilius.

Pagella hac alioqui vacatura
appoſuimus

Catalogum librorum,

Qui ab Hebræis Hiſpanica lingua conſcripti ſunt.

T*Heſoro de preceptos*, id eſt, Theſaurus præceptorum Iſaaci Athias, quo optime omnium præeeptorum legis Moſaicæ cauſas & rationes explicat. Eadem de re quoque Luſitanice librum conſcripſit Abraham Ferrar Medicus.

Nomologia, id eſt, Diſſertationes legales, R. Imanuel Aboab, quo probat traditiones veterum, ſive legem oralem veram eſſe.

Obligation de coraçones, id eſt, Obligatio cordium. Hoc opus ex lingua Hebræa Hiſpanice verſum eſt, a R. David Pardo, & tractat de virtutibus moralibus.

Tratado del temor divino, id eſt, Tractatus de timore Dei. Hunc librum vertit ex Hebræa lingua in Hiſpanicam R. David Coen.

Conciliador, ſive Conciliator Menaſſis. Hic xxx. quæſtionibus auctior eſt, quam ille, qui Latine exſtat.

Chumas, id eſt, Pentateuchus Hiſpanicè, cum notis marginalibus eiuſdem autoris.

MENASSE BEN ISRAEL

De

RESVRRECTIONE MORTVORVM.

Cap. I.

Probatur, dari Resurrectionem mortuorum, autoritate librorum Mosaicorum.

R. Moses Ægyptius, vir singulari prudentia, ac multarum rerum cognitione longe instructissimus inter XIII. articulos fidei etiam hunc articulum ultimo loco refert. Quod omnibus Israëlitis credenda sit Resurrectio mortuorum; id est, mortuos, vitaque defunctos, quorum corpora discessu animæ in pulverem, ac cineres resoluta fuerunt, infusa rursus illis eadem anima, redituros esse in lucem, ut secundó vita corporali in hoc mundo fruantur. Quia vero Rabbi Moses, cui adstipulantur omnes Hebræorum Magistri, albo expunctos vult, quotquot Articulum hunc ex Israëlitarum, tanquam essen-

tialem fidei Articulum negant, operæ pretium putavi, ad hanc rem comprobandam, primum ea loca adducere, ex quibus antiqui ſapientes illum articulum, ſeu probabili, ſeu apodictica ratione collegerunt. Deinde ſubiicere rationes ex ipſa natura petitas, ac denique ipſa experientia confirmare. Hæc enim ſunt illa media, per quæ ratio ac via perfecta rei cujuſque cognitio haberi poteſt. Vt autem ordine procedamus, in hoc capite primum allegabimus teſtimonia librorum Moſaicorum. Deinde reliquorum quæ in Sacra Scriptura occurrunt. Quod ad libros Moſaicos attinet, primum eſto teſtimonium, quod exſtat Cap. ſecundi Geneſ. verſu ſeptimo, ubi Sacra Scriptura agens de formatione Adami, ait, וייצר יי אלרים & formavit Dominus Deus Adamum. Quo loco obſervandum eſt in vocabulo וייצר (& formavit) ׳ jod ſuperfluum eſſe. Cum ex regula Grammat. ſcribendum ſit ויצר cum unico ׳ jod tantum: quemadmodum inferius verſu 19. ſcribitur, in formatione quadrupedum: idcirco antiqui dicunt illud jod emphaſin quandam habere: quare illud more ſuo penitius conſiderantes, multa de eo dixere: ſed ejuſmodi fere, quæ ſolis conjecturis nixa ſunt, Primo quidem, eo denotari

tari volunt differentiam, quæ inter homines, & cætera animantia eſt : nam ideo duplicari י jod inquiunt, quia eo deſignatur duplex quà in homine eſt affectus ; ſcilicet יצר הטוב ויצר הרע appetitus bonus & malus, id eſt, duæ inclinationes, quæ homini inſunt, ad bonum & ad malum : quas Philoſophi appellarunt appetitum concupiſcibilem, & iraſcibilem.

2. Dicunt, iſta Scriptura ſignificari poſſe, quod duæ in Adamo concurrerint formationes : nempe ipſius Adami & Evæ, quæ vel in coſtis Adami potentia, vel actu ſeu reipſa ſcapulis ejus annexa & adglutinata fuit.

3. Significantur eo duo tempora, quibus infans in lucem editus, vitalis eſſe creditur, id eſt, menſis ſeptimus & nonus ; nam ſi infans octavo menſe naſcatur, non poteſt ſupervivere, ex Philoſophorum ſententia, quorum rationes non contemnendas, nunc conſulto prætereo. 4. Eo duas partes denotari volunt, ex quibus homo compoſitus eſt, nimirum animam & corpus, quarum una eſt ſpiritualis ; altera terreſtris. 5. De nique ajunt eo deſignari יצירה בעולם הזה ויצירה לעולם הבא duas formationes, quæ homini propriæ ſunt, unam quam habet in hac vita ; alteram quam in ſequenti, id eſt, in reſurrectione mortuorum ſortietur. Atque hoc quidem

pacto probabiliter valde ex lege articulus hic fundamentalis confirmatur.

II. Ex maledictione, qua Deus Adamo maledixit. Dixit enim, *In sudore narium tuorum, comedes panem, donec ad terram revertaris, de qua desumtus es: pulvis enim es, in eumque reverteris.* Infert R. Simhon ben Iohay מכאן לתחית המתים מן התורה כי עפר אתה ואל עפר תשוב תלך: לא נאמר אלא תשוב id est, hinc ex lege manifesta fit resurrectio mortuorum. Nam non dicit pulvis es, & in pulverem *ibis*; sed *redibis*. Argute equidem hoc observat auctor. Quia enim Adamus pulvis erat, non poterat utique in pulverem converti, atque idcirco non concinne dictum fuisset in textu, pulvis es & in pulverem converteris aut reverteris: sed dicendum fuerat, in pulverem ibis. Verum hoc loco resurrectio mortuorum indicatur: tantundem enim est, ac si legeretur dictum; pulvis nunc es, o Adam, illoque pulvere iterum indueris, tempore resuscitationis mortuorum: quod necessarium non fuisset, si Adam non peccasset: quia tum aut non fuisset moriturus; aut cum corpore simul atque anima transferendus, uti Hanoch & Elias.

Genes. 3. 19.

III. In Ialkut ad verba Iacobi, quibus Iosephum alloquebatur, cum illi somnium

suum

ſuum enarraſſet, *An ego, & mater genua, fratreſque tui veniemus, te adoratum?* Hæc annotant היה יעקב אבינו סבור שתחית המתים מגעת בימיו שנאמר הבא נבא אני ואמך ואחיך רחל מתה ואת אומרת אני ואמך id eſt, Pater noſter Iacobus arbitrabatur, jam tum ſuo tempore. reſurrectionem mortuorum futuram, ideoque dixit, An ego & mater tua veniemus? Rachel jam obiit, & tu ais, ego & mater tua? Iacobus Patriarcha videtur dubitaſſe de ſomnio Ioſephi, an eſſet ſomnium Propheticum: ideo enim admirabundus quærit de eo, tanquam de re, quæ fieri non poſſit, cum Rachel mater ejus jam fato conceſſiſſet. Sed cum Sacra Scriptura ſtatim illud addat, *inviderunt illi idcirco fratres, ſed pater ejus ſperabat rem ipſam*, quærunt antiqui, quomodo duo iſta ſint compoſſibilia, ab una parte dubitare, & ab altera ſperare de eventu ſomnii? Cujus rei expediendæ gratia ſciendum eſt, Iacobum, quamvis reſpectu matris Rachelis quæ jam mortua erat, nonnihil dubitaret: nihilomninius tamē ſperaſſe, rem ipſam futuram: quia inde colligebat fieri poſſe ut tempus reſurrectionis mortuorum (de quo per traditionem acceperat) jam eſſe præ foribus, atque idcirco etiam Rachel, etiamſi in vivis jam eſſe deſiiſſet, in vitam ta-

men, resuscitata reverteretur, atque ita coram Iosepho filio suo sese incurvaret ac prosterneret. Sed vehemẽter in eo deceptus fuit Iacobus, quod vocem *Matris* de Rachele interpretatus est, cum per eam non Rachel, sed Bilha Rachelis ancilla intelligenda sit, quæ Iosepho instar matris fuerat, quia eum educaverat: sæpe enim in Sacris literis reperies tales matres vocari. Ex hoc ergo loco etiam resurrectionem mortuorum colligunt.

IV. R. Simai in Perek Helek, evidentissime demonstrat fore resurrectionẽ mortuorum, ex verbis Exodi, quibus Deus Mosem alloquens, ait. *Apparui Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, in Deo omnipotente, sed nomen meum .A. non feci illis notum: nihilominus tamen interposito fœdere promisi, me daturum illis terram Canaan, in qua peregrini fuere.* Dicit ad hæc verba Auctor לתת לכם לא נאמר אלא להם מכאן לתחית המתים מן התורה (Non dicitur in textu ut dem *vobis*; sed ut dem *illis*; unde ex lege manifesta fit resurrectio mortuorum) Probatio luculenta hæc est, quia Dominus Deus non dicit Mosi se jurasse futurum ut stabiliret pactum suum cum Patriarchis initum, dando terram promissam possidendam Patriarcharum filiis, sed dando eam ipsis Patriarchis: uti ex 17. Cap. Gen. videre est, ubi Deus cum Abra-

Exod. 6. 3.

Abrahamo loquens ait, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te, terram perigrinationis tuæ. Atqui conſtat Abrahamum, & reliquos Patriarchas eam terram non poſſediſſe: neceſſe ergo eſt, ut reſuſcitentur, quo bonis promiſſis fruantur; alioqui promiſſa Dei irrita & falſa forent. Hinc itaque non tantum animæ immortalitas probatur; ſed etiam eſſentiale fundamentum legis, Reſurrectio ſcilicet mortuorum.

V. R. Mehir idem quoque aſtruit ex cantico Moſis, quod cecinit, cum mare Erythræum tranſiiſſet. אז ישיר משה Ad quæ verba *Exod.*
annotavit שר לא נאמר אלא ישיר מכאן לתחית המתים מן התורה *15. 1.*
(non dicit, cantabit, ſed cantabit deinceps ſc: ex hoc loco legis apparet fore reſurrectionem mortuorũ) Obſerva ſecundum Grammaticos שר eſſe præteritum, & ישיר, futurum cum autem dicatur, *tunc Moſes, & filii Iſraelis*, pro eo, quod dicendum erat, *cecinit*, non caret illud myſterio. Sententia igitur dictorum eſt, Moſem cum dilecto grege aut populo ſuo aliquando reſurrecturum eſſe, ut Deum iterum cantibus celebrent, propter miracula, quæ tum temporis fecit: nam illa ſuperabant ea, quæ ante exitum, in Ægypto viſa erant. Quamvis autem illud non tam validum ſit argumentum ad reſurrectionem

comprobandam: nihilominus tamen ingeniose excogitatum est.

VI. R. Iosua ben Levi, locum Levitici cap. 25. de anno Iubilæo exponit allegorice. *Iubilæus vobis erit, & singuli ad possessiones vestras redibitis, et unusquisque ad cognationem revertetur.* Vbi per Iubilæum indicari ait, resurrectionem mortuorum: tum enim unusquisque redibit ad cognationem, & cognoscet genus & stirpem suam. Nam si illic per Iubilæum sola servorum manumissio intelligeretur, dicendum potius fuisset, unumquemque rediturum esse ad terras, vel ad civitates suas, ideo enim dicitur מכאן לתחית המתים מן התורה. Atque hinc probatur resurrectio mortuorum.

VII. R. Iohannan non minus solide, quam eleganter, demonstrat fore resurrectionem mortuorum, ex Numerorum XVIII. capite; ubi Deus de decimis præcipiens ait, *dabitis portionem domini, Aaron sacerdoti.* Ad hæc verba prædictus author ita commentatur. וכי אהרן לעולם קים והלא לא נכנס לארץ ישראל אלא מלמד שעתיד להחיות (quomodo Aaron in æternum potuit vivere, si certum est, eum ne quidem in terram Israëlitis promissam ingressum esse: respondet eo significari resurrectionem.) Procul dubio locus iste in eam sententiam omnino

omnino intelligendus ē, nec præceptum istud alio ſenſu locum poteſt habere: nam Aaron non ingreſſus eſt in terram ſanctam: Atqui decimæ, & ſacrificia alibi, quam in ea nō offerebantur; & proinde Scriptura Sacra, quæ nihil temere aut fruſtra dicit, ſi Aaronem in deſerto mori neceſſe erat, rectius locuta fuiſſet in hunc modum, dabitis decimas veſtras ſacerdotibus, aut ſemini Aaronis. At expreſſis verbis dicit, *dabitis Aaroni*. Ex quo conſequitur venturum eſſe tempus aliquod, in quo tota lex, & hoc etiam, quo ipſi Aaroni decimæ offerantur, adimpleatur: at illud erit, cum mortui reſuſcitabuntur.

VIII. Cum Saducæi urgerent valde R. Gamliel, ut ex lege reſurrectionem mortuorum probaret, neque iis ſatisfaceret, tandem in medium attulit illud Deut. Cap. 4. *Et vos adhærentes in Domino Deo veſtro, vivitis vos omnes hodie.* Hinc colligitur manifeſtè, fore reſurrectionem mortuorum: nam ſi ſermo tantum ſit, de illis, qui tum vivebant, nihil opus fuiſſet dicere quod viverent: ſi vero univerſim de omnibus hoc intelligendū eſt, jam multi ex illis obierant: quare illud hunc in modum, explicavit, מה היום כלכם קיימים אף לעולם הבא כלכם קיימים (quemadmodum nunc omnes vivitis, ita etiam fu-

turo omnes vivetis ſeculo.) Nam propter unio nem illam, qua Deo adhærebant, reddebantur immortales. Et quamquam multi ex iis diem ſuum obierant: nihilominus tamen vivebant; quia animæ ſpes remanebat futurum uti aliquando iterum idem numero corpus informaret.

IX. Idem R. Gamliel adverſus id genus hominum, ſæpe etiam pugnaſſe dicitur dicto iſto quod legitur Deuter. 11. *Nam multiplicabuntur dies veſtri, & filiorum ſupra terram, quam juravit dominus patribus ſe daturum illis.* Ad hæc ait, לתת להם לא נאמר אלא לכם מכאן לתחית המתים מן התורה (non dicit *vobis* ſed *illis*; conſtat itaque ex lege fore reſurrectionem mortuorum.) Eodem argumento uti etiam ſolet *R.* Simai, quemadmodum alias a nobis dictum eſt.

X. *R.* Elihezer filius *R.* Ioſeh in tractatu Sanhedrin, ſive magno Hebræorum concilio, adverſus Samaritanos, qui negabant futuram reſurrectionem mortuorum, probat eam futuram eſſe a contrario: ſcilicet ex Numerorum capite 15. ubi agitur de rebellibus, & verbi divini contemptoribus: ſic enim dicitur, *excidendo excidetur anima ipſa, perverſitas ejus in ea.* Vel ſi malis Hebræum textum prout ſonat, ſic ille habet הכרת תכרת בעולם הזה עונה בה לאימת לאו לעולם הבא (*exciden-*

do

do excidetur anima in hoc mundo , et iniquitas ejus in ea; quando ? an non in futuro ſeculo?) grandius peccatum eo denotari vult , quod tale ſit,ut, licet propter iſtud anima blaſphemi & rebellis ejecta & exterminata ſit ex hoc mundo : nihilominus tamen caſtiganda etiã & ſupplicis afficienda ſit in altero mundo, ho c eſt ,tempore reſurrectionis mortuorum. Tum enim ſupplicium erit בה *in illa :* ſenſus eſt , animam tempore reſurrectionis non redituram eſſe , ad uniendum ſibi corpus ; ſed ſeparatam ſemper relictum iri. His dictis videtur Samaritanis os obturaſſe.

X I. Raba illud manifeſte perſpici poſſe ait , ex verbis , quibus Moſes benedicebat Rubeni, *vivet Ruben , et non morietur*. Quod *Deut.*
non eſt de hac vita intelligendum , quia *R*uben ex ea diſceſſit : ſed de futura. Cum enim *33.6.*
*R*ubenem peccatorum pœnituiſſet, anima ejus non perpetuo exilio mulctanda erat, ſed die reſurrectionis revocanda ad uniendũ ſibi corpus: idcirco dicitur מכאן לתחיית המתים מן התורה Liquet igitur ex lege fore reſurrectionis mortuorum.

X I I. Denique antiqui evidentiſſime demonſtrarunt , fore reſurrectionem mortuorum , ex fine Deuteronomii ; quem locum longe reliquis omnibus probabiliorem eſſe credi-

crediderunt, ex quo reſurrectio probatur, idcirco dicunt, מכאן תשובה לאומרים אין תחיית המתים מן התורה Hinc reſponſum petendum eſt, contra eos, qui negant mortuos ad vitam redituros eſſe.) Iuxta illud capitis 32. *Videte quod ego ego ipſe, et non Deus mecum, ego occido, & ego vitæ reſtituo, ego percutio, & ego ſano*, מה מחיצה ורפואה באחר אף מיתה וחיים באחר (quemadmodum plaga & medicina in eodem ſubjecto recipiuntur: ita etiam mors & vita eidem accidunt.) Ex eo igitur, quod Deus dicat ſe primo occidere, & deinde vitæ reſtituere; & primo vulnus infligere, & deinde mederi; patet dari reſurrectionem mortuorum. Cum autem Moſes non videatur hic tantum agere de potentia divina, quæ maxime ex his contrariis effectibus relucet, quod videlicet occidat & vitæ reſtituat: neque etiam de ſola mortuorum reſurrectione; idcirco obſervandum eſt, canticum illud Moſaicum, in ſex partes diſtingui poſſe. Primũ membrũ eſt inſtar præfationis, que, V, verſibus comprehenditur, inde ab eo *Audite cœli*; uſque ad illud, *Nunquid tribuitis Domino?* Alterum membrum novem verſibus continet beneficia, quæ Deus Iſraëli præſtit, a verbis iſtis incipiendo, *Nunquid tribuitis Domino?* uſque ad illa *Ieſchurun Incraſſatus eſt, et recalcitravit*. Tertium membrum IV. verſi-

versibus complectitur peccata populi, quibus Deum offendit, inde, *saginatus est Israel, et recalcitravit*, usque ad, *vidit Dominus, & indignatus est*. Quartum VII versibus continet supplicia, & pœnas, quas Deus exiget ab illis, propter peccata & scelera eorum, inde *vidit Deus, & indignatus est*, usque ad, *Consumam eos*. Quinto VIII versibus agitur de eorum excidio, & causa simul additur, ob quam Deus excidium istud nondum infert, inde, *Consumam eos*, usque ad, *Nonne ipse reconditur apud me*. Sexto deniq; versibus cõsolatio Israëli ostenditur, & vindicta de inimicis eorum describitur, inde: *Nonne ipse reconditur apud me*, usque ad, *venit Moses*. Ibi autem non tantũ de redemptione populi Israëlitici agitur; sed etiam de resurrectione, quia dicitur, uti cum judicavimus, ego occido, & vitæ restituo. Ex his omnibus liquet, loca nonnulla in libris Mosaicis reperiri, ex quibus licet apodicticis demonstrationibus fundamentalis & essentialis articulus de resurrectione mortuorum probari non possit: verisimiliter tamen ex iis evincitur. Quare autem clarius & magis perspicue illud in lege non explicetur, in sequentibus (volente Deo) declarabimus.

II. Perſpicue ingens hoc miraculum Ieſaias etiam demonſtrat, cum ait, cap. XXVI. verſ. XIX. *Reviviſcent mortui tui, cadavera mea reſurgent: expergiſcimini, et cantate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, & terra eiiciet mortuos.* Quatuor verſibus ante propheta conqueſtus erat, eo Iſraelitis quod alienorum dominorum tyrannide premerentur, & eo non obſtante tamen nominis divini recordarentur, & quia interea multi martyrum perpeſſi erant pro nomine Dei, qui videlicet ſanctiſſimum ejus nomen violare detrectaverant, cum admiratione quærit, *an non mortui reſuſcitabuntur? cum colliget Dominus captivos, an non videbunt eius ſalutem?* Huic reſpondetur, an nō credis Propheta illud eventurū, quod ante dixiſti, nimirū *mortuos reſurrecturos eſſe*. id eſt, eos ex populo meo qui naturali morte defuncti ſunt; *quodque cadavera mea reſuſcitabuntur*, id eſt, illi qui pro gloria nominis mei & meæ religionis ergo perempti ſunt: nā idcirco additur emphatice pronomen *mea cadavera*. Cum autē ait, *expergiſcimini, et cantate inhabitantes pulverem*, mortuos deſignat, qui morte tanquā ſomno quodam opprimebantur, quando dominū Deum ſervatorem ſuum hymnis celebrabant. Cum vero dicit, *ros lucis ros tuus, et terra eiiciet*

defunc-

defunctos, innuere vult Propheta, quod tempore resurrectionis e cœlo ros decidet, qui instar seminis virilis, immiscentis sese mulieris sanguini menstruo, commiscebit sese pulveri terræ, apte & idonee præparato, & deinde ea e sinu suo producet (uti in creatione Adami accidit) corpora defunctorum. Hac auctoritate putabat R. Gamliel se os obturare posse Saducæis. Sed illis ea ratione non satisfaciebat: nam illud etiam de iis posse intelligi dicebant, quos Ezechiel resuscitaverat, quemadmodum postea demonstrabimus, cum sententiam illorum refutabimus. Tanhuma, ad verba *mea cadavera*, dicunt veteres, אותם שהיו מתנבלים בשבילי זה נצלב למה שמל את בנו זה נשרף למה ששמר את השבת זה נהרג למה שקרא בתורה id est, illi sunt, qui se mea causa passi sunt opprobriis affici, hic quidem, quando laqueo gulam sibi confringi sustinuit, quia filium circumciderat; ille quando vivicomburio sublatus est, quia sabbatum observaverat; alius quia capite mulctatus est, propterea quod legi adhæreret. Vsurpatur vox נבלתי quæ derivatur a nomine נבל, quod proprie significat, vilem. Atque hoc fere coincidit cum eo quod ante diximus, nimirum ea voce denotari illos, qui religionis ergo, variis injuriis & suppliciis olim affecti fuerunt: quemadmodum etiam-

num

nium fit in Hiſpania ab inquiſitoribus crudelibus hæreticæ pravitatis.

III. Tertia ratio petitur ex Prophetæ Eſaiæ Cap. 52. verſ. 7. *Quam pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sioni, regnat Deus tuus: ſpeculatores tui allevaverunt vocem, ſimul cantabunt, ſe oculis ſuis videre coram, cum reducit Dominus Sionem.* Antiqui ſapientes nuncium illum volunt eſſe Eliam Prophetam, qui venturus eſt ante diem Domini maximum & tremendum quo omnibus oſtendet rurſus ſalutarem gratiam ſuam: prout etiam teſtatur Malachias in fine Prophetiæ ſuæ, & Nahum cap. 2. *annunciabit pacem.* Hæc vero pax generalis erit, uti alio loco oſtenditur, *Non ſtringet gladium gens adverſus gentem, & bella non amplius gerentur:* & deinde *annunciabit bonum & ſalutem*; id eſt, bonum quod tempore Meſſiæ homines conſequentur, & ſalutem iis qui ex morte reſuſcitabuntur. Tum enim, inquit, ſpeculatores ſive Prophetæ attollent vocem, & ſimul cantabunt ſalutem Domini, omnes expergefacti & reſuſcitati de terra. Ex hoc loco demonſtravit quoq; R. Hiya fore reſurrectionem. יחדו ירננו רננו לא נאמר אלא ירננו מכאן לתחית המתים מן התורה ; ועוד אמר עתידין כל הנביאים כלם לומר שירה בקול Ieſa. 2. 4.

ſta viſione indicare voluiſſe Ezechieli, futuram aliquando reſurrectionem mortuorum, idcirco ab antiquis dicitur in Pirque *R.* Elihezer היו ישראל יושבין ובוכין היינו מקוים לאור ובא חשך באותה שעה אמר הקדוש ברוך הוא חי יי שאני מעמיד אתכם בתחית המתים ואקבץ אתכם עם ישראל שנאמר הנה אני פותח את קברותיכם וכולי (conſiſtebant *I*ſraëlitæ plorabantque, dicentes, ſperaveramus lucem, & ecce tenebræ. Tum allocutus eſt Dominus Prophetam, & ait, vivit Dominus, ſi non vos reſuſcitem, cum mortui reſurgent, & cum Iſraële recolligam: Quod idem eſt, atque illud, aperiam veſtra ſepulchra.) Liquet igitur credidiſſe illos in iſta Prophetia repræſentatam fuiſſe reſurrectionem mortuorum.

V. *R.* David Kimchi, aliique plures, idem quoque probant ex xliii cap. *I*ezechiel: ubi Dominus agens de tertio templo ait: *Et dabis ſacerdotibus, Levitis, qui ſunt de ſemine Zadok, quique accedunt ad me, ait Dominus Deus, adminiſtrandum mihi, vitulum vaccæ ſacrificium pro peccato. &c.* Hoc procul dubio complebitur: nam in ſecundo templo completum nõ eſt, quoniam *I*ezechiel non rediit Hieroſolyma: ſed mortuus in Babylonia, ibidem quoq; ſepultus eſt. Quamobrem illud promiſſum præſtet Deus neceſſe eſt, in futuro ſæculo quando eum ex mortuis ſuſcitabit. Atq; hæc

ſunt argumenta deſumcta ex Prophetis quibus ſententia illa coufirmari poteſt.

Cap III.

Reſurrectio mortuorum probatur ex libris Hagiographis.

Reliquum eſt, ut articulum iſtum, ex Hagiographis quoque comprobemus. Primum autem hic nobis occurrit Pſalmus LXXII. ubi Pſalmiſta agens de Meſſia ait, quod multa cum pace dominabitur a mari, uſque ad mare, quod illi ſe proſternent omnes reges, omneſque gentes terræ obedient, poſtremo addit, *& florebunt de civitate, ſicuti herba terræ.* Qua phraſi fieri non poteſt, ut intelligantur alii quam reſuſcitati a mortuis, qui inſtar herbæ ex terræ gremio efflore-ſcent. Vt enim hoc intelligatur de fructibus terræ, abſurdum eſt, quia fructus terræ non in civitate: ſed extra eam in agris florent, vigentque. Hoc confirmatur in Guemara Sanhedrin, ubi refertur quando Cleopatra olim ex *R.* Mehir quærebat ſolutionem dubitationis alicujus circa articulum de reſurrectione mortuorum, eum articulum hunc confeſſum eſſe in hæc verba רענא רחיי שבכי רכתיב, ויציצו מעיר כעשב הארץ (ſcio illos, qui mortui ſunt ad

ad vitā reverſuros eſſe, quia ſcriptum eſt, *& florebunt de civitate, ſicuti herba terræ.*)

II. Similiter antiqui illud probant ex Pſalmo LXXX*III*. *Beati qui habitant in domo tua Domine, adhuc laudabunt te; Sela.* Nam illa vox עוד *adhuc* ſignificat præter præcedentem, novam aliquam laudem; & quia dicitur *laudabunt*, ajunt *Rabbini*, quod illa nova laus erit; quæ à revocatis in vitam cantabitur. הללוך לא נאמר אלא יהללוך מכאן לתחית המתים מן התורה non dicitur, laudarunt te: ſed laudabunt. Secundum legem igitur futura eſt reſurrectio mortuorum.

III. Non minus etiam vere illud colligitur ex Pſalmo CIIII. ubi David agens de providentia Dei circa res creatas, ait, *Univerſa in te ſperant, ut des eſcam eorum in tempore ſuo. Dabis eis, colligent; aperies manum, ſaturabuntur bono. Abſcondes facies tuas, terrebuntur. Colliges ſpiritum eorum, exſpirabunt, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, creabuntur, & innovabis facies terræ.* Si igitur poſtquam ſpiritus collectus eſt a Deo, & corpus in pulverem redactum, altera vice ſpiritus rediturus eſt in corpus, & facies terræ nova futura: quis non videt hoc in reſurrectione mortuorum eventurum eſſe?

VI. R. Aſſe ex poſtrema parte hujus capitis, idem etiam colligit: inquit enim, מהכא ואתה לך לקץ ותנוח ותעמוד לגורלך לקץ הימין (hinc liquet, inquit: Tu autem vade ad præfinitum, & requieſces; & reſurges in ſorte tua, in fine dierum.) Procul dubio illic Danieli duo ab Angelo promittuntur. Primo, ubi pervenerit ad finem, id eſt mortem, mors enim eſt finis ac terminus omnium rerum mortalium, quod requieſcet, id eſt quod tunc anima ejus, in mundo animarum fruetur bonis, quæ reſervata ſunt juſtis Deinde, quod ſuſcitabitur *in fine dierum*, tempore reſurrectionis, & quidem non alium in finem, quam ut, cum omnibus piis, probis, juſtis hominibus, in ſorte ſua beate vivat ea parte, quæ terris condita fuit. Atque hæc quidem hactenus de locis S. Scripturæ, ex quibus Rabbini, ſeu veriſimiliter, ſeu demonſtrativè concludunt fore reſurrectionem mortuorum. Sunt autem in univerſum XXIII loca. Sed cum dictis facile aliquid addatur, unicum præterea argumentum adiiciemus, quod mihi præcedentibus videtur æquipollere. Cum Jobus malediceret natali ſuo, tandem ex nimio dolore in hæc verba erumpit, כי עתה שכבתי ואשקוט ישנתי אז ינוח לי (etenim nunc jacerem, Cap. 3.12.
& quieſcerem, dormirem, tunc requies eſſet mihi.)

mihi.) Ecce mortuum eſſe, vocat jacere, & dormire. Hoc autem non convenit animæ; illa enim non dormit, neque actiones ejus ceſſant, cum per mortem a corpore ſeparata eſt. Quinimo tum libera a materia, & mole corporis, verè & propriè agit atque exercet ſeſe. Itaque de corpore illud intelligendum eſt: hujus enim mors appellatur ſomnus; nec ſine ratione: uti enim is, qui dormit, expergiſcitur: ita etiam corpus aliquando expergiſcetur, tempore reſurrectionis mortuorum. Idcirco S. Scriptura, quotieſcumque loquitur de morte hominum, qui recte, pieque vixerunt, utitur formula, jacendi: ut David jacuit cum patribus ſuis, & ita porro. Hinc non ſolum apparet, quod anima ſit immorralis, verum etiam quod mortui aliquando reſuſcitabuntur. Non allegavi huc illud Iobi cap. XIX verſ. 25. *Ego ſcio redemptorem meum vivum, & noviſſimus ſuper pulverem conſiſtet.* Nihil enim in eo eſt, quod ad reſurrectionem pertinet, neque ullus Hebræorum reperitur, qui verba hæc in iſtam ſententiam expoſuit. Etenim verborum iſtorum hæc mens eſt, ſcio & novi eum, qui redemptor eſt animæ meæ, quique eam transfert ad beatitudinis ſedes, vivum, æternumque eſſe in ſecula ſeculorum; illud

illud etiam ſcio, quod noviſſime ſuper omnia terreſtria permanſurus ſit. Hoc modo Eſaias Dominum Deum vocat primum, & poſtremum. Et licet quis verba hæc alio ſenſu explicet, nihil tamen dicet, quod ad reſurrectionem pertinebit, ut egregie ait Clariſſimus doctiſſimusq; D. Gerardus Ioh. Voſſius, Diſputatione Theologica de reſurrectione mortuorũ. Atq; ita illud poſtremum, non explicandum eſt de noviſſimo die: neque dicendum, conſiſtam, ſecundum verſionem Latinam: ſed conſiſtet & veritate Hebraica. יקום Iacum. Hactenus ergo quatuor & viginti loca adduximus, ſecundum numerum librorum S. Scripturæ ad ſententiam noſtram probandam.

Cap. IV.

Non implicat contradictionem dicere reſurrectionem mortuorum, aliquando futuram eſſe, ſed rationi conſentaneum eſt.

CVM rebus illis, quæ involvunt repugnantiam non ſit credendum neque fidendum; operæ pretium eſt, ut videamus, ſit ne reſurrectio ex hoc genere, an ſecus. Nos ſtatuimus eam non modo non repug-

nare rationi; ſed etiam cum ea optime conſiſtere. Duo autem genera rerum ſunt, quæ fieri non poſſunt; unum eſt genus rerum iſtarum, quæ in ſe & natura ſua, ita ſunt comparatæ, ut ne quidem per omnipotentiam divinam aliter eſſe poſſint. Quales ſunt, partem non eſſe æqualem toto; duo contraria ſimul non eſſe, in gradibus intenſis, in eodem ſubjecto, & ejuſmodi plura, quæ implicant contradictionem. Nam intellectus hominis illa percipere non poteſt: uti bene dictum eſt a Badraſi in epiſtola ad Ariſbam. Alterum genus earum rerum eſt, quæ naturaliter fieri non poſſunt: ſed tantum per omnipotentiam divinam: qualia omnia miracula ſunt; uti quod Moſes XL. dies & noctes, abſque cibo vitam ſuſtentarit, quod Elias mortuos reſuſcitaverit & ſimilia quæ naturaliter quidem fieri non poſſunt: tamen talia ſunt, ut ratio nō repugnet ea fieri poſſe. Cum enim quis ſecum cogitat Deum eſſe autorem, dominumque naturæ, ac proinde eum pro arbitrio ſuo poſſe naturam intendere extendere, contrahere, ac mutare; facile is etiam credet, quod Deus aliquem ſine cibo vivum conſervare, & mortuum in vitam revocare poſſit. Itaque dogma de reſurrectione non eſt ex genere contradictoriorum.

Gebia

Gebia ben Pessissa, cum Hæreticus quidam ei dixisset, vah nequitiam vestram; qui dicitis mortuos resurrecturos esse; vivi moriuntur, & defuncti reviviscerent? Ille, inquam, vir doctissimè huic evestigio respondit, ווי לכון חיביא דאמריתו מתי לא חיין דלא הוו הוו דהוו לא כל שכן (pudeat vos improbos dicere, defunctos non resurecturos esse, si enim illud quod non fuit, est: quanto magis id, quod jam fuit?) Recte equidem: Enimvero aptius multo censeri debet subjectum omne ad recipiendũ influxum Dei semel præhabitum, quam eum quo semper caruit: uti titio recens extinctus, & adhuc fumigans, aptior est ad concipiendam denuo flammam: ita etiam materia semel informata anima aptior est ad recipiendam denuo animam, quam si eà nunquam prædita fuisset: semper enim remanet in subjecto aliquod vestigium influentiæ, quæ in eo antea fuit. Hoc sensu antiqui ajunt, templa, licet destructa, eversaque, retinere tamen sanctitatem: et res, quæ in sacris usurpari solent, licet vetustate attritas ac deformes redditas, non esse abijciendas, neque in prophanos usus convertendas, sed sedulo adservandas ac custodiendas. Huc pertinet illud (tabulæ legis & particulæ primarum tabularum, confractarum repositæ fuerunt in arca.)

arca) Nempe eo ipſo ſignificatur, res omnes ſacras quæ divinæ alicujus excellentiæ participes ſemel factæ fuerunt, ſemper aliqua excellentiæ iſtius veſtigia retinere. Atque hoc idem uſu venit in reſurrectione. Enimvero corpus quod ſemel anima præditum fuit, multo aptius eſt, ad recipiendum ſpiritum, qui per mortem ab eo ſeparatus fuit, quam ſi ſpiritum nunquam habuiſſet. Et ſi propius animum advertamus, videtur omnino dicendum, ſubjectum ejuſmodi, quod ſemel formâ aliquâ, aut influentiâ præditum fuit, cogere ipſum influentiæ, aut formæ autorem ut, ſi ſubjectum forma iſta privatum denuo informare velit, non novam, nec aliam, ſed eam ipſam formam, qua antea ſemel ſubjectum informatum fuit, ſubjecto reſtituat: quemadmodum enim flamma, etiamſi naturaliter non deſcendat, nihilominus tamen nonnunquam inferiora petit: uti videre eſt in candela recens extincta, quæ admota ardenti candelæ, per fumum deſcendere facit flammam, eamque contra naturam deorſum ad ſe trahit: ſic etiam anima ob diſpoſitionem & aptitudinem, quæ remanſit in corpore, quod aliquando ei conjunctum fuit, facile poteſt ad corpus redire, idque rurſus animare ſeu vivificare. Ideo fortaſſis etiam

ſapiens

ſapiens animã candelæ comparavit. *Candela* Cap.
Domini, *eſt anima hominis.* Bene itaque re- 20.27.
ſpondit Gebia ben Peſiiſſa, ſi illud, quod non fuit, exiſtit, quanto magis id reſtituetur quod aliquando fuit? Antiqui ſapientes, naturalibus inſuper rationibus ſolent probare dogma illud de reſurrectione. Cum enim quidam ex Imperatoribus *R*omanis (fortaſſis Veſpaſianus fuit, quoniã vixit ter milleſimo octingenteſimo tertio anno creationis mundi) quæſiviſſet ex Raban Gamliel, qua ratione probaret mortuos reſurrecturos eſſe, cum jam converſi in pulverem eſſent; filia ejus, docta & erudita procul dubio mulier, petiit a patre, ut ſibi liceret reſponſum reddere. Quo impetrato ait, שני יוצרים היו בעירנו אחד יוצר מן המים ואחד יוצר מן הטיט איזה מהן משובח אמר ליה זה שיוצר מן המים אמרה ליה מן המים צר מן הטיט לא כל שכן. (Duo erant in civitate noſtra figuli, quorũ alter ex aqua, alter ex luto ollam finxerat, utrius opus laudabilius videtur eſſe? Reſponſum eſt, qui ex aqua ollam confecerat. Tum illa; ſi ille ex aquis vas conflare potuit, quanto magis poterit ex luto?) Quaſi diceret, ſi ideo opus ex aqua confectum laude fuit dignius, quia effectu erat difficilius; utique certum eſt, quod majus miraculum ſit formare hominem in utero matris, ex aqua, id eſt.

ſper-

ſpermate patris, quam reſtituere illum ex luto, quod ex commixtione terræ & aquæ fit, & in quod corpus reſolutum eſt. Atque ita difficultas ea, quæ circa miraculum de reſurrectione eſt, ab ea ſublata fuit. R. Ame vero cuidam homini Epicureo, hunc in modum reſpondit, אמשול לך משל למה הדבר דומה למלך בשר ודם שאמר לעבריו בנו לי פלטרין גדולים במקום שאין מים ועפר הלכו ובנו אותו לימים נפל אמר להם חזרו ובנו אותו במקום שיש מים ועפר אמרו ליה אין אנו יכולין כעס עליהם המלך אמר להם במקום שיש מים ועפר בניתם עכשו שיש מים על אחת כמה וכמה׳ ואם אין אתה מאמין צא לבקעה וראה עכבר שהיום חציו בשר וחציו ארמה למחר השריץ ונעשה כלו בשר שמא תאמר לזמן מרובה עלה להר וראה שהיום אין בו אלא חלזון אחת למחר ירדו גשמים ונתמלא כלו חלזונות:

Rem ſimili explicemus, Fac regem aliquem juſſiſſe ſervis, famuliſque ſuis, ut ſibi extruerent arcem, ubi nec aqua, nec pulvis eſſet. Paruere miniſtri eamque extruxere. Accidit, non multo poſt ut arx corrueret. Quo facto ait rex iis, ite & exſtruite mihi arcem eo in loco, in quo aqua & pulvis eſt. Reſponderunt illi, ſe non poſſe id facere. Tum rex inquit, ſi arcem eo loco potuiſtis ædificare, ubi neque aqua, neque pulvis erat, quanto magis poteritis id facere, ubi aqua & pulvis eſt. Deinde ſi tu necdum credis iis, quæ dixi, rus abi, & contemplare quomodo glis fiat: nam illa ſubſtantia, quæ uno die partim

tim caro, partim terra, altero die cospicitur omnino caro facta esse: vel si aliud malis, ascendito montem, & comperies, cum hodie tantum non nisi unicus vermis sit, crastino die si pluat plenum fore vermibus. Quasi diceret, uti difficilius est eo in loco ædificare, in quo neque aqua neque pulvis est, ita difficilius quoque est mundum ex nihilo, quam postea ex aliquo efficere: ac proinde minus difficile est vita defunctos vitæ restituere, quam Adamo primitus eam dare. Sed cum illud argumentum non valeat apud eos, qui secundum Aristotelem, negant principium mundi: idcirco additur, ut rus abiret, ad videndum quomodo ex putrida materia, extraordinario modo absque semine, glis nascatur. Quod si ita est, eodem modo etiam homo poterit ex terra renasci, cum in cinerem conversus est. Cum autem regeri possit, istam generationem fieri successive, & resurrectionem futuram esse in instanti: ideo rem illustrat exemplo vermium, qui cœlo pluvio momento temporis videntur provenire. Eo etiam ostendit resurrectionem fore mediante pluvia, seu rore, qui erit vice spermatis, uti ante ad locum Esaiæ annotavimus. Schola R. Ismael idem illud alia ratione probare solet. קל וחומר מכלי זכוכית מה כלי זכוכית

קם

שעמלין ברוח של בשר ודם נשברו יש לחם תקנה בשר ודם
שברוחו של הקדוש ברוך הוא על אחת כמה וכמה ׳

Similitudine a vasis vitreis petita. Si vasa vitrea, quæ facta sunt inspiratione, ac sufflatione carnis & sanguinis, eadem ratione possint refici, cum fracta sunt: quanto magis poterit humanm genus instaurari, & homo ad vitam revocari qui factus est a Deo animam illi inspirante?) Quo quid potest dici apertius, quam Deum posse resuscitare mortuos? nam si homo potest opus suum, quod confractum, dissolutumque est, redintegrare: quanto magis poterit Deus homini, qui opus ipsius est, defuncto vitam reddere? Hac ratione quoque convicit R. Ioseph hæreticum Har Halpeta, Beresit Raba, cum ad eum consolandum venisset super morte filii sui. Quæ cum ita sint, manifestum est quod dogma de resurrectione mortuorum non implicet contradictionem, sed rationi convenientissimum sit.

Paras. 14.

Cap. V.

Ab experientia probatur, quod mortui possint resurgere.

QVod experientia certum est, & sensibus ipsis comprobatur, illud minime potest negari: ideo enim credimus, magnetem

tem, attrahere ferrum, non quia ratio id dictat ita esse, sed quia sensu deprehendimus, & oculis videmus rem ita se habere. Similiter cum resurrectione comparatum est. Nam constat de Elia, quod resuscitaverit filium feminæ Sareptanæ; item, de Elisæo, qui Sunamiticæ filium in vitam revocavit. Ezechiel quoque mortuos istius vallis vitæ restituit, (si enim Prophetia illa intelligitur secundum sensum literalem, quid ea potest esse certius?) Itaque quod sensus & experientia testantur verum esse, illud certissimum est.
Accedat huc illud, quod *R.* Iehuda annota- Cap. 3.
vit ad verba illa Ecclesiastæ, *Quod fuit*, 15.
jam est, & quod futurum est, jam fuit. Vajera
מה שהיה כבר הוא אם יאמר לך אדם שאילו לא חטא אדם הראשון Raba
ואכל מאותו העץ היה חי וקיים לעולם אמור לו אתה כבר היה Par. 27.
אליהו שלא חטא הוא חי וקיים לעולם · ואשר להיות כבר היה אם Et in
יאמר לך אדם שהקדוש ברוך הוא עתיד להחיות לנו מתים אמור לו Koelet
כבר היה על ידי אליהו אלישע ויחזקאל· Rabati.

Quod fuit, jam est; siquis tibi dicat, si Adamus non peccasset, neque comedisset de arbore illa, viveret & maneret in perpetuum; responde illi, jam est Elias, qui non peccavit, & vivit, ac manet in æternum. *Et quod futurum est, jam fuit*; si dixerit quis, Dominus Deus paratus est ad resuscitandos mortuos; responde, jam illud factum est per ma-

nus Eliæ, per manus Elisæi, & Ezechielis.) Eo nihil aliud sapiens indicare vult, quam quod per præsentia possimus judicare de præteritis, & futuris quæ non videmus: nihil enim in orbe terrarum fit, quod non factum sit prius; & quod aliquando factum est, quid obstat quo minus iterum fiat. Et quemadmodum inquit *R.* Hacha. כל מה שהקרוש ב רוך הוא עתיד לעשות ולחרש בעלמו לעתיד לבא כבר הקדים ועשה מקצתן על ידי נביאיו הצדיקים בעולם הזה (Quodcunque Dominus benedictus faciet, & renovabit in futuro seculo, id jam ante fecit aliquo modo per manus Prophetarum, qui veri ac justi erant, in hoc mundo.) Aliquo modo, inquit, quia tunc eadem miracula fiet majori cum stupore & admiratione. Sed addamus huic, quomodo divini Cabalistæ, ex historia Ionæ, sensu allegorico probet resurrectionem mortuorũ. Cum Ionas a conspectu Domini fugeret, ne obiret legationem ad Ninivitas, ingressusque Iaphunte in navẽ, Tarsum tenderet, ingens maris tempestas exorta est. Quare nautis sortitione explorãtibus tempestatis tantę autorem vel causam, cecidit sors in Ionam; ac proinde eo in mare præcipitato, tempestas desiit. Cæterũ immanis cetus excipiens faucibus Ionam, retinuit eum tribus diebus ac noctibus visceribus suis conclusum, ac triduo post in littus evomuit. Per

Ionam hic allegorice intelligitur anima: nam Ionas Hebraice ſignificat יונה ſive columbam, & ſicuti illa ſine felle eſt, ita etiã anima libera ac pura eſt, ab omni peccato, antequam in lucem editur. Cum autem anima in mundũ venit, qui eſt inſtar magnæ alicujus civitatis, pręcipitur illi a Deo, ut mandata, pręceptaq; ejus obſervet. Sed cum illa ſecura eſt, & obliviſcitur, quamobrem, & quo fine, in mundum venerit, prona in vitia & peccata prolabitur. (Nam תרשיש Tarſus ſignificat תרי שיש duo vitia) id eſt, honeſtum relinquit, & ſequitur tantum bonum utile, & delectabile. Deſcendit Iaphuntem, atque ibi reperit navem: id eſt, anima cœlitus venit pura & formoſa: nam יפו Iapho venit a יפה quod ſignificat pulchrum. Sed in navi ingenti procella jactatur, hoc eſt, anima in corpore exiſtens, multis affectibus, veluti tempeſtate magna agitatur, & propter incuriam & ſegnitiem ſuam à Deo caſtigatur. Idcirco Palinurus ille, & inſignis moderator mens animam ſomnolentam & dormientem ſubinde reſpiciens oblitamque virtutis, excitat, & reprehẽdit. Sortitio illa ſignificat luctã & contentionem, quæ inter animam & corpus eſt, de cauſa peccati: anima enim accuſat corpus, corpus viciſſim animam. Sed tandem comperitur animã culpa teneri, cognito ejus

nomine, natali, origine, cognitione q; quã de creatore ſuo habuit ; & corpus tantũ inſtrumentũ eſſe , quo anima in ſuis operibus utitur. Quemadmodũ vero tempeſtas , & afflictio nõ ceſſant, donec peccator Ionas in mare projiciatur : ſic etiam illa non remittunt ſe in anima, priuſquã mors eam a corpore ſeparet. Venter autẽ piſcis , quo Ionas concluſus fuit, ſignificat ſepulchrum , quo corpus tegitur , conditurque. Sed ſicut Ionas tertio die inde redditur, ita nos etiam tertio die reſurgemus, & vitæ reſtituemur. Vti ait Oſeas cap. 6. 3. *In die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus ad facies ejus.* Atque hæc quidem hactenus, de auctoritate ſacrarum literarum, rationisque, & experientiæ teſtimonio: ex quibus ſequitur dogma de reſurrectione mortuorum certiſſimum eſſe.

Cap. VI.

De objectionibus Zaducæorum , eorumque refutatione.

REperti ſunt homines improbi , & male feriati, qui auſi ſunt dogma hoc excellentiſſimum negare. Inter hos fuerunt Zaducæi, qui uti negabant animas eſſe immortales , ita etiam non credebant fore reſurrectionem mortuorum. Neque tamen idcirco dero-

derogabant fidem Prophetis, & libris Hagiographis: sed loca quæ leguntur tum apud Iesaiam, *vivent mortui tui*, tum apud Iezechielem, *ecce ego aperiam sepulchra vestra*; item in Daniele, *multi dormientes in terra pulvere expergiscentur*. Et, *tu ad finem pergito, & requiesces, ac resuscitaberis in cognatione, in extremo dierum*: Loca, inquam, hæc omnia, ex quibus liquido constat mortuos resurrecturos esse: in alium longe sensum interpretabantur. Nam per mortuos, apud Iesaiam & Ezechielem, intelligi dicebant Israëlitas, qui nunc sunt tanquam mortui, quoniam per omnes gentes dispersi sunt: Resurrectionem vero eorum exponebant de redemptione, & liberatione ex misera contemptęq; vitę conditione. Testimonium autem Ezechielis XXXVII. *Ossa illa sunt domus Israë'; illi dicent periit spes nostra, abscissi sumus*; & paulo post, *ecce ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepulchris vestris, populæ mi, & reducam vos in terram Israelis*; Testimonium, inquam, hoc parabolam esse ajebant qua significatur, quod Deus suo tempore ex captivitate eripiet ac liberabit Israëlem, eumque ex isto statu ad meliorem & longe excellentiorem transferet. Quod vero apud Danielem legitur, illud explicarunt de imperio Asmonæorum,

rum, per quos ab Antiochi iugo liberati sunt, aut de regno Messiæ. Quod autem dicitur, *ad finem ambula, & requiesces*, eo Danielem, inquiebant, omnes homines monere, ne anxie inquirerent de fine mundi, aut de diebus Messiæ; sed hoc totū Deo committeret; illum enim aliquando venturum esse, ut suis sperata, & exspectata diu gaudia tribuat. Et hoc sensu accipi verba ista volebant, *resuscitaberis in cognitione tua in fine dierum*, scilicet si dignus & meritus es. Ita enim explicat illud doctissimus vir Aben Ezra in nomine Alieen Iaphet. Atque hæc quidem hactenus de Zaducæis, quomodo illi hujusmodi loca scripturæ soliti sint explicare. Quamvis sufficeret contra hos hoc unum, quod traditio certa ac perpetua sit resurrectionem mortuorum esse articulum fidei, & certo omnibus Israëlitis credendum; nihilominus tamen firmiter tenendum est, Articulum hunc Scripturis Sacris niti, iisque ipsis quæ ante citata sunt locis contineri. Hunc in finem, ut melius intelligantur, quæ dicturi sumus, sciendum est, scripturam semper secundum literam intelligendam & explicandam esse, nisi explicatio contineat aliquid quod implicat contradictionem; exempli gratia cum Deo attribuuntur caput, pedes, & affectus, sive

passi-

passiones humanæ. Si enim cuicuique pro arbitrio suo liceat, sensu allegorico explicare Sacras literas, quæ certitudo explicationis erit? Sensum quem quisque volet, sibi finget: unde in infinita ac innumerabilia nos incidere necesse erit absurda. Hic enim per creationem cœli & terræ, quæ in Genesi describitur, intelligi possit ortus & origo alicujus gentis: quemadmodum Iesaias comparat instaurationem Israëlis cum creatione novorum cœlorum. Per luminaria intelligi posset, lex: nam lex comparatur luci. Sic cum dicitur Sol paruisse *Iosuæ*, possemus illud explicare de ortu ejus imperii: de occasu vero alicujus regni, cum Sol occidere dicitur secundum illud Prophetæ, *constitit* vel occidit *Sol cum adhuc dies esset*. Cum in lege dicitur, Non sumes matrem cum pullis, exponi posset, non occides in bello senes cum pueris juxta illud Prophetæ. Hosea 10. 14. *mater super filios allisa est* Atque ita universa lex eluderetur, singula allegorice explicando. Verum enimvero cum resurrectio mortuorum non magis Dei vires excedat, nec minus rationi consentanea sit (uti ante a nobis ostensum est) quam reliquarum rerum productio & generatio, quæ causa aut ratio est, quamobrem illa negetur? Quid

Quid ? an dicemus eum qui reliquas res fecit, hanc facere non posse ? Absit. Sed esto, demus etiam locum Iesaia allegorice accipi posse; quid inde ? impossibile est ut ulla expositio detur, quæ possit accommodari Prophetiæ Ezechielis : quo fine enim allegoria aut parabola usus hic fuisset Ezechiel, cum jam ante crebro aperte & absque parabolis prædixisset restitutionem Israelis ? Secundo, Cum Prophetia subsequens de duobus lignis, in quorum altero scriptum erat, *Ephraim*; in altero, *Iehudah*, non agat nisi de collectione, ac congregatione duodecim tribuum : necesse utique est, ut in præcedente Prophetia, non eadem de re, scilicet collectione populi : sed de suscitatione, ac resurrectione mortuorum actum sit. Tertio, Manifeste inquit, *resuscitabo vos e sepulchris*, & deinde, *spiritum meum dabo in vobis, & vivetis*. Hoc certe de mortuis intelligendum est. Denique nec alius sensus aptari potest ultimo versui in Prophetia Danielis : nam per *finem* illum, vel intelliguntur dies Messiæ, vel universalis omnium humanarum rerum finis, ac terminus, id est mors. Atqui hic postquam Angelus Danieli dixerat, futurum ut post mortem quiesceret in mundo animarum, dicit insuper : *Et stabis in sorte tua,*

tua, in fine dierum; quod profecto fieri non aliter poterat, quam in resurrectione mortuorum. Et in ista quidem promissum fuit Danieli, quod staturus, id est, resuscitandus esset ad æternam gloriam & felicitatem.

Sed videamus nunc, unde Zaducęis illa opinio in mentem venerit. *R*. Natan in Abot refert, hunc errorem originem suam traxisse, ex hoc Antigoni proverbio. אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם (id est, ne estote similes servis, qui serviunt Domino mercedis gratia: sed illis, qui absque spe & exspectatione mercedis, Domini jussa exequuntur; & timor creatoris vestri sit in vobis.) Scopus Antigoni fuit, (uti R. Moses Ægyptius, & R. Ioseph Albus lib. 4: cap. 29. ajunt) ut eo ostenderet præcepta propter se servanda, & virtutem sui gratia excolendam esse: id est, non spe alicujus mercedis ac remunerationis, sed ex solo amore, Deo serviendum esse. Vel quemadmodum præstantissimus vir Isacus Abravanel inquit, per פרס (peras) mercedem, intelligitur merces seu præmium corporale: idcirco autem Deus a nobis colendus non est, ut tale præmium in hac vita consequamur: quia hoc cultoribus Dei in vita spirituali dabitur: vita eum enim,

 quam

quem in hoc mundo vivimus, non est, nisi usura (uti dicitur) sortis istius beatæ, quæ nobis in mundo animarum reservatur. Deniq; optima fuit Antigoni sententia: cæterum Zadok & Baytos discipuli ejus, homines improbi, & rerum novarum cupidi, quo novæ sectæ duces & antisignani fierent; simulatque tale quid ex præceptore suo audierunt, dixerunt, præceptorem suum negare aliam post hanc, vitam. Quasi dixisset, frustra hoc animo, & fine colitis Deum, ut aliquod præmium post hanc vitam vos maneat, quia mortuo homine, omnia ei commortua sunt, nihil post hunc statum vitæ superest quod immortale sit. Vt autem hanc pessimam, & ineptissimam opinionem confirmarent, omnes explicationes & traditiones repudiarunt, quæ contra a sapientibus e divinis literis adferebantur. Cum autem circa mortalitatem animæ (quam pertinacissime semper asseruit Zadok) isti homines postea discreparent, inde fluxerunt duæ sectæ, una Zaducæoram, altera Baytosæorum sive Essæorum: quod compositum nomen est, quantum mihi videtur, ex בית & איסיאי Bayt & Essei, h, e. domo Essæi: nam domus suas seorsum ab aliis hominibus, instar monachorum, habebant. Sed cum illi in negatione

tradi-

traditionum conveniant, ad unam classem revocari solent. De eo quod dicuntur negasse spiritus, non disputo. Sanè, ut multi putant, sic sequeretur eos negasse Legē Mosaicam, quæ variis in locis Angelorum mentionem facit; præterea certum est eos non negasse librorum propheticorū autoritatem, ut ex Talmude liquet. Veteres sapientes tanti fecere dogma de resurrectione mortuorum, ut in Perek Helek dixerint כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא ואלו הן שאין להם חלק לעולם הבא האומר אין תחית המתים מן התורה ואין תורה מן השמים ואפיקורוס (id est, ōnes Israelitæ participes fient futuri mundi: idcirco dicitur, *& populus tuus omnes ipsi justi* *Iesai.*
in seculum hæreditabunt terram. Qui vero non *60.2.*
sunt participes, futuri istius seculi, sunt illi, qui negant legē loqui de resurrectione mortuorum, quique infitias eunt legem de cœlo datam esse; denique Epicuræi.) Hæc sententia nititur opinione quadam recepta, eaque inter veteres valde decantata ac celebri nempe, quod nullum peccatum possit extinguere bona opera, quæ quis semel fecit, & vicissim quod bona opera non possint delere peccata semel commissa. Sed siquis est, qui peccaverit, & vitiis sese inquinaverit, primo ab iis sese purgat aut pro iis satisfacit, & deinde ab iis liber & purus redditus,

fruitur

fruitur præmio bonorum operum: uti diserte habetur in Midras Soher Tob, hoc modo:
יש לך אדם שיש לו עשר מצוות ועשר עונות ואומר לא שכרן של
מצוות ולא עונשן של עבירות לא יהיו לו כנגד אלו אבל הקדוש ברוך
הוא אינו עושה כן אלא כתחלה הוא גובה ממנו עונותיו ואחר כך
נותן לו שכרו של מצוות (id est, erit, qui habebit decem præcepta, & decem delicta, & dicet, non curo præmium præceptorum, neque pœnam delictorum. Verum Deus benedictus haud ita agit: nam primum vult ut quisque satisfaciat pro delictis suis, & tum demum tribuit illi præmium præceptorum.) Idem sentit R. Moses Ægyptius in expositione cap. quarti Pirque Abot. Hæc vero sententia hoc axiomate nititur, *Omnis Israel partem habet in alio mundo.* Cum enim propter aliquod bonum opus, dignus habitus sit nomine Israëlis: idcirco partem aliquam gloriæ in mundo resurrectionis obtinebit. Portio illa erit magna, aut parva, pro ratione operum, quæ singuli præstiterunt. Sed tria hominum genera sunt, qui inde excluduntur; primo illi, qui negant resurrectionem; nam justum & æquum est ut tales ea beatitudine non fruantur. Deinde qui negant legem a Deo esse datam, sive qui Legi divinitatem derogant: cum enim hi nullam vitæ normam ac regulam sibi propositam

habeant,

habeant, secundum quam actiones dirigant, fieri non potest, ut operibus salventur. Denique Epicuræi, qui negant providentia divina, inferiora hæc gubernari. Triplex itaque illud hominum genus, non potest particeps fieri futuri seculi, licet bona quædam opera fecerint. Ex his apparet, quam grave peccatum sit, negare resurrectionem mortuorum.

Cap. VII.

Argumenta Zaducæorum, & quorundam atheorum pro mortal.tate animæ & contra resurrectionem mortuorum proponuntur.

UT hoc dogma de resurrectione plenius intelligatur, operæ pretium me facturum existimo, si proponam quoque argumenta eorum, qui contra sentiunt & eam inficiantur (veritas enim opposito mendacio contrario magis elucescit) eaque deinde refutem; imprimis argumenta Zadducæorum quibus ii solent perversam opinionem suam adstruere.

I. Anima humana, inquiunt, nihil aliud est, quam spiritus vitalis, inhærens sanguini: nam per hunc vivimus, agimus, & movemur. Neque alia differentia intercedit in-

ter animam hominis & bruti, quam quod anima hujus ſit irrationalis: illius vero rationalis: cæterum origine, vita, morte prorſus paris ſunt & æqualis conditionis.

II. Non repugnat legi divinæ, animam eſſe mortalem. Imo immortalitatis animarum nuſpiam mentio fit in Lege. At neutiquam veriſimile eſt, Legem ejus mentionem nullam facturam fuiſſe, imprimis cum res ſit tanti momenti ac ponderis.

III. Omnes promiſſiones & benedictiones, quæ manent cultores legis, ſunt temporales: neque ulla vel pœna vel præmium vitæ futuræ in lege expreſſum eſt, quod dandum vel exſpectandum ſit poſt mortem, obſervantibus legem. Nam Iſac benedicens Iacobo, non alia ei promittit bona, quam caduca & temporalia. Quis autem credat eum, ſi credidiſſet aliam poſt hanc vitam eſſe, etiam non mentionem facturum fuiſſe vitæ iſtius & bonorum ejus ſpiritualium?

IV. Prophetæ ipſi crediderunt animas eſſe mortales, uti ex variis locis obſervare
2. Sem. eſt. David cum mortuus eſſet filiolus, quem
12. ei pepererat Bat Seba ſic infit: *Nunc autem, cum obierit, quid eſt, cur jejunem? nunquid potero revocare eum amplius? ego vado ad illum, & ille non redibit ad me,* inquit, non revertar,

ad illum, quia eo defuncto, nihil ejus reliqui erat. Psalmi etiam Davidici manifestum hujus sententiæ patrocinium præbent. Psal. 6. *quia in morte non est memoria tua, in fossa quis laudabit te?* Psal. 29. *Quæ utilitas in sanguine meo, cum descendam in fossam? nunquid laudabit te pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* item 88. *An mortuis facies miracula? an defuncti resurgent, te laudabunt?* Præterea 115. *mortui non laudabunt Deum, neque ulli ex descendentibus in fossam.* Denique Psal. 78. *nam memini, quod caro ipsi, spiritus vaden, & non redibit.*

V. Eandem sententiam quoque sequitur Selomoh filius ejus: nam in Ecclesiaste aperte sic dicit: *Quod eventus filiorum hominis, & eventus quadrupedis & eventus unus eis: sicut moritur hic, ita moritur ille, & spiritus unus omnibus; & præstantia hominis præ quadrupede nulla: quia omnia vanitas. Omnis vadens ad locum unum, omne fuit de pulvere, & omne revertitur ad pulverem. Quis scit, an spiritus filiorum hominum, ascendens ipse sursum, & spiritus quadrupedis descendens subtus terram.* Et alio in loco: *Nam viventes sciunt, quod morituri sunt, & mortui non sciunt quicquam; & non ultra eis*

præmi-

præmium, quia oblivioni tradita est memoria eorum. Denique ibidem paulo inferius: *Omne quod invenerit manus tua, ad faciendum in virtute tua, fac: quia nullum opus est, neque computatio, neque sapientia vel scientia in sepulchro, quo vadens te.* Ex his omnibus concluditur animam esse mortalem.

VI. Diserte etiam Iobus hoc agit, ut evertat thesin de resurrectione mortuorum: idcirco cap. 7. 7. ait. *Memento quod ventus vitæ meæ, non revertetur oculus meus ad videndum bonum. Non me intuebitur oculus videntis me, oculi tui in me, & non ego. Defecit nubes & abiit, sic descendens ad sepulchrum, non ascendet. Non revertetur amplius domum suam, & non cognoscet eum amplius locus ejus.* Et alibi; *Et vir dormivit, non resurget, usque dum non cœli, non resurgent, & non suscitabuntur ex somno suo.* Atque hæc summa est opinionis Zaducæorum & atheorum, præcipuaque argumenta, quæ pro se ex sacris adducere solent.

Cap. 14. 12.

Cap. VIII.

Recensentur opiniones quæ circa animam sunt, & verior ex antiquis sapientibus adstruitur.

ANtequam ad probationem theseos de immortalitate animarum accedimus, necesse est, ut primum de essentia animæ agamus. Variæ olim gentilium opiniones de ea fuere. Vti & recte a doctissimo, clarissimoque viro D. C. Barlæo observatum est in oratione de animæ admirandis. Crates Thebanus ajebat nullam in earum natura esse animam, sed corpora sua sponte se ipsa movere. Alii dixere animam subtile corpusculum esse diffusum per vastum corpus. Hipparchus arbitrabatur animam esse igneam; Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes Cynicus, & Critias, eam faciebant aëream. Hesiodus & Pronopides terrestrem. Alii rursus contendebant eam mixtum quid esse ex aëre & igni, uti Epicurus & Boetius; alii ex terra & aqua, ut Xenophon; alii ex terra & igni, ut Parmenides. Alii statuebant eam tenuem & subtilem esse spiritum, per corpus diffusum,

uti Hippocrates Cous. Nonnulli, carnem cum exercitio ſenſuum, uti Aſclepiades. Alii temperamentum quatuor elementorum, quemadmodum Zeno Citiæus. Heraclitus Ponticus dicebat animam eſſe lucem. Quidam aſſerebant eam eſſe particulam quandam ſubſtantiæ divinæ, individuam, totam in toto corpore, & in qualibet parte ejus, productam ab autore & cauſa incorporea. Hanc ſententiam ſecuti ſunt inſigniores Philoſophi Zoroaſter, Hermes, Orpheus, Aglophemus, Pythagoras, Eumenes, Ammonius, Plutarchus, Porphyrius, Timæus Locrus, atque divinus Plato, qui aſſerit animam eſſe eſſentiam, quæ ex ſe ipſa movetur, plenam intelligentiæ. In hoc ordine etiam ſunt antiqui ſapientes: nam in tractatu Berachot legitur egregia & inſignis eorum ſententia, ad hanc rem pertinens: verba hæc ſunt. מה הק"בה מלא כל העולם אף הנשמה ממלאה את כל הגוף מה הק"בה רואה ואינו נראה אף הנשמה רואה ואינה נראית מה הק"בה זן את כל העולם אף הנשמה זנה את כל הגוף הק"בה טהור אף הנשמה טהורה הק"בה יושב בחדרי חדרים אף הנשמה יושבת בחדרי חדרים (Quemadmodum Deus benedictus implet univerſum mundum: ita etiam anima implet totum corpus. Vti Deus benedictus videt, & non videtur; ita etiam anima videt, & non videtur Vti Deus

Deus benedictus nutrit universum mundum, ita anima nutrit totum corpus: uti Deus benedictus est purus, ita anima quoque est pura. Vti Deus benedictus est in conclavi conclavium, ita anima similiter est in conclavi conclavium.) Observet sapiens ac prudens lector, quam insignes res nobis indicarint ei sapientes, per quinque has comparationes inter animam & Deum benedictum. In prima statuunt, animam esse spiritualem, quia corpus necessario indiget loco, & ab eo continetur: spiritus vero non egent certo loco. Atque idcirco, ajunt, quemadmodum Deus est in universo mundo; ita etiam anima est in toto corpore, neque ab eo continetur. Quia vero nonnulli erant, qui affirmabant animam radicatam esse in cerebri ventriculis, uti Hippocrates, Hierophilus; Epicurus in pectore; Diogenes in corde; Empedocles in sanguine; idcirco adversus illos, cum Platone & Aristotele contenderunt animam diffusam esse per universum corpus; ita tamen ut negarent eam totam esse in qualibet corporis parte: nam tale quid nunquam ex antiquorum ullo auditum est, & ad me quod attinet, videtur id mihi manifestam involvere contradictionem. In secunda comparatione ostendunt,

 quod

quod natura animæ ob ſpiritualitatem ſuam a priori perveſtigari nequeat, uti bene a Cicerone & Seneca obſervatum eſt: ſed tantum a poſteriori videlicet per effectus ſuos cognoſci poſſit. Idcirco ajunt, uti Deus benedictus videt, & non videtur, id eſt, non comprehenditur oculis mentis; ſic etiam anima videt, & non videtur, neque ſcitur, quidnam ſit. In tertia comparatione indicant, quod Deus omnia entia ſic conſervat, ut ſi quando iis providentiam ſuam ſubſtraheret, eas confeſtim perire in totum neceſſe foret, nullo propriæ ſuæ divinæ entitatis periculo aut damno. Quia videlicet Deus eſt ens per eſſentiam, reliqua per participationem. Eundem plane in modum anima conſervat corpus. Ea enim diſcedente, perit corpus, nullo animæ damno aut periculo. In quarta comparatione ſignificant animam non poſſe fieri immundam, aut ſordidam, cum materiæ aut corpori jungitur; quia nihil affinitatis cum materia corporea habet: idcirco dicunt, uti Deus eſt purus, ita anima quoque eſt pura & limpida, ſive abſtracta a materia. In quinta comparatione docent nos, quemadmodum ſcimus quidem Deum eſſe in toto mundo, & tamen neſcimus, neque poſſumus locum indicare, in

quo

quo ſit, quia ſenſibus percipi non poteſt. Haud aliter etiam rem ſe habere in anima, quamquam enim ſcimus animam eſſe in universo corpore; nihilominus tamen ad ſenſum eam oſtendere non poſſumus. Idcirco dicunt, eam habitare in conclavi conclavium, id eſt, in intimo atque a ſenſibus noſtris ſecretiſſimo adyto.

De Raban Gamliel refertur, cum ex eo quidam quæſiviſſet, ubi Deus ſit; eum reſpondiſſe ſe id neſcire: cumque iſte quærere pergeret, quomodo ergo quotidie illum adoras, ſi ignoras, ubi ſit? Hunc Rabanem Gamliel denuo reſpondiſſe, tu profecto ex me ſcire quæris, quod iter quingentorum annorum, uti ajunt, a nobis diſſitum eſt, (id eſt quod in cœlis altiſſimus eſt.) Ego vero ex te viciſſim ſcire velim, quod tibi multo propinquius eſt, ubi ſita eſt anima tua? Cumque hic reſpondiſſet, ſe ignorare: tum ille, ſi te res tam propinqua lateat, qua ratione, ex me ejus rei cognitionem, ac ſcientiam quæris, quæ longiſſime a me abeſt? Ex his apparet, quanta animæ ſit excellentia, ut quoque ſit ſubſtantia ſpiritualis. Etſi vero certum ſit, ſciri a nobis non poſſe, qualis iſta ſubſtantia ſit: veriſimilis tamen videtur eſſe opinio Heracliti Pontici, qui ſtatue-

bat eam (uti diximus) lucem esse: juxta id, quod a Sapiente dicitur, *lux justorum excitabitur, & candela impiorum extinguetur*; ubi per lucem procul dubio intelligitur anima humana: nam veteres volunt, creationem ejus, in lucis primo die creatæ creatione contineri. Restat, ut agamus de spiritualitate animæ: sed ejus rei tractationi sequens caput destinavimus.

Cap. IX.

Solidis aliquod argumentis astruitur animæ immortalitas.

PRo animæ immortalitate insigne argumentum est, quod homines de anima disputent, sit ne immortalis nec ne. Ex eo ipso apparet, animam esse immortalem. Enimvero tam nobilis & generosa cogitatio subire mentem hominis non posset solorum sensuum beneficio. Neque enim, uti nonnulli ex philosophis observarunt, quos inter sunt Valesius de Sacra Philosophia cap. IV. & Conimbricenses de anima separata disput. I. art. 4, in sensum aut phantasiam equi aut canis unquam venit cogitatio de immortalitate Neque anima nostra ex se sufficeret ad concipiendum cogitationem de se ipsa quod cor-

corpori suo superstes esse possit ac post mortem vivere, si ea non minus esset corruptibilis & mortalis, quam corpus suum est. Sed veniamus ad demonstrationes, quibus evincemus animam non mortalem, sed immortalem esse. Earum prima esto R. Ioseph Albi. Is hunc in modum argumentatur; Anima est Substantia spiritualis, ergo incorruptibilis. Consequentia patet. Constat enim consensu omnium philosophorum, & ex ipsis Philosophię primis principiis, corruptionem omnem ę materia sive corpore manere, nihilque nisi corporeum esse corruptibile, quia corpus per luctam & pugnam primarum quatuor qualitatum, calidi & frigidi, humidi & sicci, disponitur ad corruptionem. Animam vero esse substantiam, ex eo probatur, quia exercet actiones quasdam spirituales, quæ non dependent a corpore, uti sunt ratiocinatio sapientia, variarum rerum scientia. Animam etiam spiritualem esse ex eo recte concluditur nam omnis actus & operatio fluit a potentia, potentia a substantia, haud aliter quam fructus fluit ex arbore; ergo si actiones sunt spirituales, substantia quoque erit talis, a qua operationes istæ emanant. Accedat huc quod accidentia spiritualia non cadant in subjectum

corpoream rem. Negare vero ſapientiam eſſe ſpirituale quid, nimis eſt abſurdum. Nam ejus unius beneficio tractamus e rebus ſpiritualibus de Deo ac angelis, multa ſubtiliter differimus; judicamus futura, cognoſcimus præterita; neque res dumtaxat ſingulares, ſed etiam univerſales ejus ope apprehendimus; quæ omnia cum in oculos non incurrant, neque manibus palpari, neque pedibus calcari, auribus percipi queant, neceſſe utique eſt, ut dicamus dari aliquam animę operationē, quę a corpore abſtracta eſt, ac proinde animā nō eſſe formam materialē, qualis eſt brutorum, quę idcirco tota a corpore depēdet. Atq; hæc etiam ratio Ariſtoteli placuit.

II. Idem hoc probari poteſt, ex parte voluntatis. Ecquis enim negare poteſt voluntatem hominis liberam eſſe in operationibus ſuis? ita ut objectum ſuum amare vel odiſſe, fugere vel proſequi poſſit? libertas illa non poteſt eſſe in potentia corporali, tanquam in ſubjecto. Appetitus enim ſenſitivus in nullo animali bruto iſtius libertatis eſt particeps, quia ſequitur cognitionē & ductū phantaſiæ quę non minus eſt corporalis. Quid, quod voluntas hominis multa ſępe appetat & probet, quæ appetitus ſenſitivus improbat, & averſatur, & vice verſa, phantaſia

amet

amet ea, quæ voluntas repudiat? Quod certe manifestū judiciū est animā esse spiritualē. Nisi enim talis esset, nō fugeret homo stimulatus virtutis amore, delicias & voluptates corporis: nā animalia muta nihil pręterquā, quod delectabile & sensibus gratum est sequuntur.

III. Accedat huc, quod concesso Deū esse, necessario quoq; concedendū sit, dari providentiam: si providentia datur, ergo etiam justitia detur necesse est: si justitia datur, necessario sequitur animam esse immortalem. Ratio est, quia actus justitiæ aliquando non exercetur in hac vita. Ergo si in alia exercebitur, necesse sane est, ut anima cum corpore non occidat. Res manifesta est: Videmus in hac vita sæpe malis bene, & bonis, ac probis viris male esse: necesse ergo est, ut post hanc vitam alia sit, in qua pios & probos præmium, improbos pœna maneat. Idcirco dicunt Philosophi quidam, quum olim homines viderent, optimum atq; innocentissimum Abelum esse interfectum; parricidam vero Cainum supervixisse, atque urbes ædificare, devenerunt, ut crederent, vanum & inane esse, servire Deo. Vt autē rursus in animis hominum Deus generaret, atque imprimeret fidem providentię suæ, sustulit Hanochū, eumque a morte præservavit. Ex inde homines ab impietate illa a- *August. l. 1. de civitate Dei cap. 19. Theodor. q. 45. in Genesin. Irenæus l5. c. 5.*

nimum revocavere, oculosq; conjecere in alterum ac futurum seculum, & cogitare cœperunt de æternitate vitæ sequentis, in qua inæqualitas ea, quæ in hac vita inter bonos & malos est, olletur.

IV. In libro Sepher a-Hasidim nova quędam ratio atque argumentum mihi occurrit, quo sententia de animæ immortalitate confirmari potest. Etsi sæpenumero de iis somniemus, qui jam diu e vita excessere, & de quibus aliquot retro annis non cogitavimus: nunquam tamen fit, ut somniemus de ulla bestia, quæ mortua est, etiamsi nobis familiaris, ac domestica fuerit. Hujus rei non est alia ratio, quam quod bruta pereant, nihilque eorum post mortem remaneat superstes: homo vero, post mortem, quo ad animam, vivit. Multi tamen hoc quod de somnio dicitur, non dissimile somnio esse judicant. Ego illud neque affirmo, nec nego, quam diu experientia non ostendat contrarium. Atque hæc quidem argumenta, de quibus hactenus, valida satis atque efficacia mihi videntur ad evertendum opinionem atheorum & Zaducæorum, qui credunt animas esse mortales, quia scilicet anima in sanguine esse dicitur.

Ab antiquis sapientibus, non minus ingeniose quam docte in Beresit Raba observa- *Para.* 14.

tum

tum eſt, animam hominis quinque nomina habere, nempe נפש רוח נשמה חיה יחידה, uti conſtat ex locis quibuſdam Sacræ Scripturæ, quæ allegant. Ea animæ ſecundum varios reſpectus & conſiderandi modos attribuuntur. נפש neſes, ſcilicet dicitur quoad animam vegetativam, qua mediante augetur & creſcit homo. רוח ruah, quoad ſenſitivam & locomotivam facultatem, cujus beneficio movetur & ſentit. נשמה neſama, quoad facultatem intellectivam, qua homo ab mutis & brutis animantibus diſtinguitur; nam נשמה derivant a שמים id eſt, cœlo, vel quia cœlitus deſcendit; vel ob naturam & indolem ejus cœleſtem. Idcirco nunquam legitur in Sacris nomen illud attributum beſtiis, ſed ſoli dumtaxat homini. חיה chaja, viva dicitur, quia beneficio animæ homo vivit & immortalis eſt. Denique omnium excellentiſſimum nomen eſt. יחידה jechida, unica & ſola, quatenus ſubſtantia ejus differt ab omnibus corporis membris. nam omnia membra compoſita ſunt ex materia & forma: anima vero ſimplex forma eſt, & immaterialis. Similiter etiam antiqui ſtatuunt animam hominis unicam tantum eſſe; ſed quæ variis potentiis prædita ſit. Vegetativam & ſenſitivam, longe excellentiori modo, volunt in homine eſſe, quam

in

in plantis, & bestiis. Idcirco ajunt animæ pro variis potentiis facultatibus diversa nomina convenire, uti diximus. Itaque ex opinione veterum sapientum, sartum tectumque manet animam esse immortalem.

Idem sentiunt hujus seculi sapientes, uti videre est, apud R. Mosseh, qui scribens ad sapientes Hispaniæ, in quadam epistola ait:

ומה ששאלתם לידע טוב הנפש כבר דברו בזה הספרים שחברו חכמי יון
ומה שהסכימו כלם שהנפש צורה לא גוף אבל טהור וגזרה ממקור הדעת
אינה צריכה לגוף ועל כן כשתאבד הגוף לא תאבד היא אבל תעמוד במ
במקומה כמלאך קיימת ומתענגת ורואה באורה של עולם והיא הע״הב

(Quod autem scire cupiatis, quid sit anima, id jam diu docuere sapientes Græciæ libris illis, quos ea de re scriptos reliquerunt. Omnes in eo conveniunt, quod anima non sit corpus: sed forma limpida, pura, fons & origo sapientiæ; non necessario indigens corpore: idcirco pereunte corpore, illa non interit; sed immota atque incorruptibilis manet, similisque naturæ angelicæ reddita, oblectat sese, & intuetur lumen futuri sæculi.) Deinde libro secundo Directorii, propositione undecima, inquit. Quædam sunt potentiæ, quæ corpus reddunt permanens & stabile, neque ullo modo possunt dividi, quales sunt anima & intellectus. Preterea circa significationem vocis רוח ruah, adnotat, הו׳ על נפש האדם הנשאר אחר

Director lib. 1. cap. 40.

המות שנאמר והרוח תשוב אל האלהים. (Quartũ etymũ ſive nomen ſpiritui datur, quatenus poſt mortem manet, juxta illud, *Et ſpiritus revertetur ad Deum qui dedit illum.* Quæ cum ita ſint, facile hinc quilibet colligit, quod hæc illius ſit ſententia; non vero ea, quam multi illi tribuunt, qui non ſatis diligenter ad verba ejus attenderunt. Vel quemadmodum, inquit, doctiſſimus ac nobiliſſimus vir Iſac Abravanel, in commentariis ſuis, in capita quædam Directorii R. M. quia, voluere magnum & præclarum aliquem virum peſſimæ ſuæ opinionis adſtipulatorem jactare: uti Narboni feciſſe legimus, quem in alia longe ab iſta ſententia fuiſſe, erudite & clare oſtendit R. Abraham Salom, in libro ſuo Neve Salom. Denique immortalitas animæ ab ipſis Barbaris & gentilibus credita fuit. Hinc in deſcriptione Guineæ legitur: Affirmabant aliã eſſe rationẽ hominũ, aliam pecudum. De Ægyptiis refert Diodorus Siculus hunc in modũ, Parentes & majores ſuos ad ęternam habitationẽ tranſlatos autumant. De Chinẽſibus teſtatur Ioannes Hugo Linſchotanus, eos credere in altero mundo vitam immortalẽ eſſe, idq; repetit in Hiſtoria ſua de China. De Peruanis populis ſcribit Ioſephus Acoſta eos credere, animas hominũ immortales eſſe, ac pios vitã æternã,

im-

impios autem æternam damnationẽ manere. Idem etiam de Mexicanis refert, additque eos ea propter ſecum ſepelire quęcunque habent precioſiſſima. Similiter de inſulis Virginiæ teſtatur Thomas Hariot Anglus. Ex his apparet omnibus tanquam communem notionẽ impreſſam eſſe, Animã eſſe immortalẽ.

Quanquam C. Plinius neget animas eſſe immortales: nihilominus tamen ſecus ab omnibus fere autoribus creditum eſt. Ac proinde incipiendo a Poëtis, illi omnes pariter mentionem faciunt inferni, & multa dicunt de Elyſiis campis; quæ ejuſmodi loca eſſe ajunt, in quæ animæ hominum prout bene, vel male meriti ſunt, poſt exceſſum vitę tranſportantur. Item illud liquet ex Senecæ Tragœdiis, Virgilii Æneide, & Ovidii Metamorphoſi, aliiſque pluribus Poëtarum ſcriptis. Hiſtorici quoque dum ſcribunt geſta illuſtrium virorum, prædicant animam eſſe immortalem. Hinc Saluſtius dicit, opes, & copias caducas, & fragiles: virtutem vero æternam, ac perpetuam eſſe; quoniam fama & gloria ejus, veluti anima immortalis eſt. Val. Maximus refert quaſdam in India mulieres, defunctis maritis, ſe ipſas occidere, ut rurſus in altera vita cum illis conjungantur. Similiter Cato ſe ipſum occidit, ut im-

mortalitate frueretur. Idem a Diogene, Xenone, Lucretio factum est. Hinc illud Poëtæ:

Retro idem cecidit de terra, quod fuit ante,
In terram: sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli fulgentia templa receptant.

Astrologi quoque licet homines fuerint gentiles, crediderunt animas esse immortales. Nam quemadmodum testatur Macrobius, statuebant duas esse portas in Zodiaco, nempe tropicum Capricorni & Cancri, per quas animæ ex cœlis descendebant in terras, & rursus post excessum hominis e terris in cœlos redibant. Quoniam vero per tropicum Cancri animæ descenderent, ad informandum corpus humanum, ideo portam illam appellarunt portam humanam. Per Capricornum autem, cum redirent animæ defuncto homine. Idcirco portam divinam eam nominarunt, quoniam per eam animæ intrantes in cœlum, divinitatis participes fiebant. Præterea inter Physicos primus fuit Pythagoras, qui statuit animam esse immortalem: cujus sententiam secuti sunt Plato, Archytas Tarentinus, Plotinus: & Aristoteles eandem confirmat lib. II. de anima. Itaque præter communem omnium gentium opinionem, eadem etiam sententia confirma-

II. Animam etiam esse spiritualem, ex eo evincitur, quia non dependet a corpore, neque educitur ex potentia materiæ, quemadmodum animæ brutorum animantium: sed forinsecus a Deo per os homini inspiratur: Hinc est quod Sacra Scriptura in productione aliarum rerum loquatur in hunc modum, *producat terra, producant aquæ &c.* sed cum agit de homine, longe aliter loquatur, *formavit Deus hominem de pulvere terræ, & inspiravit in faciem ejus animam vitalem.*

III. De Henocho dicitur Genes. 5: 24. *Quod ambulaverit cum Deo, neque amplius apparuerit, quia tulerat eum Deus.* In eandem sententiam loquitur Scriptura de Elia. Quia vero notum est, Eliam cum anima & corpore, ex hac vita, in aliam transportatum esse; inde quoque manifestum fit, non aliter Henochum translatum fuisse. Est igitur anima immortalis.

IV. Postquam Deus Noacho permiserat omnibus animantium carnibus vesci, ait, Gen. 9. 5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris ejus, requiram animam hominis. Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis ejus: quoniam ad imaginem Dei*

factus est homo. Quasi diceret, etiamsi tibi concessi mactare omnis generis animalia; noli tamen credere concessum a me idcirco esse, tibi aut cuiquam homini hominem occidere. Id enim si fecerit quisquam vestrum, primo, *sanguinem animarum vestrarum requiram*, id est, requiram ab homicida sanguinem vestrarum animarum, scilicet in alio mundo. Et si velim, non deerit mihi ratio alia vindicandi sanguinem effusum: *quoniam de manu omnium animantium illum requiram*, procurando scilicet ut homicida talis ab aliqua fera delanietur aut devoretur. Quod si hoc non fiat, de manu hominis, de manu viri, de manu fratris ejus requiram animam hominis, id est, occasionem aliquam dabo, qua ab alio occidatur, vel efficiam, ut si testes adsint per viam justitiæ, id est, a Magistratu supplicio capitis afficiatur. *Quicunque effuderit sanguinem, &c.* id est, homicida uno aliquo horum modorum certò morietur, aut per incursum & lenienam bestiarum, aut per manum hominis. Si non hic, saltem in futura vita punietur, quia homo prçter alia animantia, respectu animæ, ad imaginem Dei factus est. Itaque si Deus occisi hominis sanguinem reposcit ab anima homicidæ, certo sequitur, animam esse immortalem. Alii conten-

tendunt eo, quod dicitur, *certo a veſtro ſanguine, a veſtris animabus requiram*, prohiberi autophoniam, ſeu ſui ipſius cædem, & indicari ſimul ſanguinem iſtum vindicatum iri in ipſa anima, cumque id fieri non poſſit, niſi poſt mortem, recte inde inferri animam corruptionis expertem atque immortalem eſſe. Cæterum prius iſtud quod diximus, propius convenit cum ſenſu literali.

VI. Iacobus Patriarcha accingens ſe ad mortem, ait. *Dormiam cum patribus meis*. Hic prima voce innuit reſurrectionem: nam qui dormit, naturaliter expergiſcitur. Cum autem inquit, *cum patribus meis*, eo oſtendit animam eſſe immortalẽ: nam mortui, ratione corporis, nihil ſunt uti præcipuis Indorum Philoſophis primarius quidam (prout Plutarchus & Clemens nobis referunt) ab Alexandro interrogatus, pluresne eſſent vivi an mortui? reſpondit, viventes, quia mortui nihil ſunt. Hoc ipſum Scripturæ indicatum vult, cum de Abrahamo ait, quod ſeſe ad populũ ſuum collegerit. Eo ipſo enim loquendi modo ſignificat, animam eorum poſt mortem ſuperſtitem manere. Neque vero iſtud intelligi poteſt de corpore. Nam Deus dicit Moſi, *Aſcende in montem Habarim iſtum, & morieris in monte in quẽ tu aſcẽdẽs ibi. Et colligeris ad populum tuum.* At patres Moſis non erant in monte Abarim.

Gen. 47. 30.

Deut. 32. 49.

VI. Cum Mosi primũ appareret Dominus
Exod. 3.6. dixisse legitur. *Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi*. Atqui Deus non est Deus mortuorũ, quia mortui non sunt: sed vivorum, quia vivi existunt. Itaque Patriachæ etiamnum, respectu animæ vivere ex eo recte infertur.

Exod. 19.6. VII. Dominus inquit Israëlitis, *Eritis mihi Thesaurus præ omnibus populis, & gens sancta*. Attributum illud קדוש sanctus, tale est, ut Deo tribuatur: quemadmodũ ex Esaia cap. 6. videre est, *Et clamabat hic ad illum, & dicebat sanctus, sanctus*. Atq; si homo non nisi materialis esset, hujusmodi titulus minime illi conveniret. Neque vero etiam Israelitæ illum gradũ prophetię obtinuissent, cujus omnes in monte Sinai participes fuere, nisi in illis fuisset particula quędã divina & spiritualis, quæ illos ad spiritum Propheticum recipiendum idoneos reddidisset. Quare anima spiritualis sit, necesse est, & per consequens etiã immortalis.

VIII. Dominus Deus, cum Moses peteret ab eo ut gloriosam faciem suam ostenderet, respondisse ei legitur, eam invisibilem
Exod. 33.20. esse, *Non videt me homo, & vivit*. Quasi diceret quã diu vivit, & cũ materia conjũctus est homo, me videre nequit: sed ubi e vivis excesserit, me intueri poterit. Itaq; hinc liquet, animam post mortem corpore supervivere.

XI Præ-

IX. Præceptum eſt a Deo in Lege, ſi mater inveniatur nido inſidens, nequis eam capiat: ſed dimittat, & ſolos pullos auferat. Qui præceptum hoc obſervant, iis promittit Deus bonorum affluentiam, & vitæ longitudinem. Verba textus ſunt: *Vt bene ſit tibi, & prolongare facias dies.* Deut. Veteres ad hunc locum narrant, compertum eſſe, plane 22.7. contrarium cuidam eveniſſe. Fuit enim (inquiunt) quidam filius, cui pater mandaverat, ut pullos columbarum e nido auferret: qui cum matrem demiſiſſet, & pullos duntaxat abſtuliſſet, per ſcalam deſcenſurus (erat enim locus altior, in quo columba nidum poſuerat) decidit ex alto, vitamque exſpiravit. Vbi tunc bonorum copia, & dierum promiſſa longitudo? Idcirco למען יטב לך לעולם שכלו טוב והארכת ימים לעולם שכלו ארוך, *ut ſit tibi bene*, intelligendum eſſe ajunt de mundo futuro, qui per omnia bonus eſt; *& prolongare facias dies*, ſcilicet in mundo, qui perfectiſſime longus eſt. Qui non poteſt alius eſſe, quam mundus animarum. Concludo ſi præmium hujuſmodi præceptorum in altera vita dandum eſt, animam immortalem eſſe neceſſe eſt.

X. Non male etiam de animæ immortalitate videntur ſenſiſſe gentiles: uti ex Bileami verbis apparet. *Moriatur anima mea, morte piorum.* Num. Certum eſt, quod ad mortem 23.

corporis attinet, eam justis, probis, ac piis hominibus, cum malis, & impiis communem esse. Imo non raro videmus juste ac pie vivẽtes, multa frustra atq; adversa in hoc mundo perpeti, uti in Abele, & Ieremia, aliisque pluribus observare est. Quare de morte corporali verba ista Billeami accipi non possunt, sed necessario intelligẽda sunt, de morte ista post quam anima desiderabat frui fælicitate illa, qua homines pii, post mortem corporalem in altera vita perfruuntur. Anima igitur non perit; sed remanet, atque immortalis est.

XI. Deus modũ, qui luctui adhibendus est, præcipiens, ait, *Ne incidite vos, neque inducite calvitium inter oculos vestros, propter mortuum: quia populus sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit Dominus, ut sis ei in populum thesauri, præ omnibus populis qui sunt in superficie terræ.* Hinc dicat, quis contrariũ potius evinci: nã si populus sanctus est, ergo major sensus doloris ac luctus esse debet, qui ex morte alterius percipitur: quemadmodum major dolor percipitur ex morte filii principis, quam privati hominis. Et mirum profecto videri possit, si quis dicat, ne te affligas, neq; crucies ob annulum, quem perdidisti, quia pretiosor gemma palæ ejus inerat. Sed vera dicti mens, & sententia hæc est. Nolite eum in modum lugere ac plangere mortem eorum, qui in vita

Deut. 14. 1.

sua

ſtia vobis cari fuere], [quaſi plane interiiſſent, uti vas aliquod figulinum, quod confractum, redintegrari non poteſt. Non ita vobiſcum comparatum eſt: eſtis enim populus ſanctus, quem elegit Dominus Deus: ſimiles eſtis vaſis aureis, & argenteis, quæ in partes ſoluta, inſtaurari queunt. Quare poſt mortē non plane cum corpore interitis atq; in nihilum abitis: ſed copulati, & conjuncti eſtis, cū illo, quicū vobis eſt affinitas, & ſimilitudo quædā ſanctitatis. Ex hoc itaq; concluditur, animas eſſe immortales. Certe argumentū hoc maxime movere debet Iſraelitas, ne in plangēdis mortuis ſuis modum excedant, quia certum eſt omnes Iſraelitas vitā hunc cum meliore commutare, juxta veterum illud, *Omnibus Iſraelitis pars eſt in futuro mundo*.

XII. Acerrime Deus vetuit omnis generis præſtigias, & incantationes, & inter varias ſpecies, quas recenſet, omnium poſtrema eſt, *requirere a mortuis*, id eſt, magicis quibuſdam artibus mortuos excitare & conſulere gentilium in morem, uti ex Lucano conſtat. Ex hoc infero hanc concluſionem. Si vera eſt iſta ſcientia, verā autē eſſe apparet quia eam Deus diſerte vetat, tum ſequitur neceſſario animam eſſe immortalem: nam poſt mortem corporis etiam conſulentibus reſpondet. *Deut.* 18.11.

XIII. Circa finem Deuteronomii legitur: *Adjicite animum vestrum ad omnia illa, quæ ego commendo vobis hodie, &c. quia non est res inanis vobis, nam illa vita vestra, & huc re prolongabitis dies super terram.* His verbis ostenditur, quod duplex præmium sit; spirituale unum, & corporale alterum. Spirituale, *quia illa est vestra vita.* Vti etiam alibi dicitur: *Et custodietis mandata mea, & præcepta mea, quia faciet homo illa, & vivet cum illis.* Non dubium est, quim ea vita, non sit vita corporalis: nam qui observat sedulo præcepta legis, non diutius protollit vitam quam gentilis quilibet. Ita enim divinus Anquelos illud explicat וחי בהון לחיי עלמא (& vivet cum illis vitam æternam.) Alterum præmium corporale mox declaratur illis verbis, *& hac re prolongabitis dies vestros super terram.* Quare animæ etiam sunt immortales, quia hic præmium eis spirituale promittitur.

Deut. 32 46. *Levit. 18 5.*

XIV. Animæ immortalitatem doctissime probat R. Ioseph Albus, ex pœna excisionis; in lege enim scriptum est, *Quicunque comederit adipem, anima comedentis excidetur ex populo suo,* item alibi, *Quicunque comederis fermentatum, excidetur anima ejus ex cœtu Israelis.* Exstirpatio & excisio illa animæ, ad aliam rem referri nullo modo potest, quam ad

Levit. 7.25. Exod. 12.15.

ad eandem animam: nam fermentum & adeps non sunt similia toxicis sive venenis, quæ vitæ noceant, eaque hominem privent. Et dato, quod excisio ista animæ de abbreviatione vitæ accipiatur, ex eo sequeretur, quod is, qui senior, puta octoginta annorum est, si adipem vel fermentum degustasset, parum supplicii & pœnæ pro eo luiturus esset. Multo minus intelligendum id est de morte filiorum; quia iniquum nimis foret, ut liberi innocentes ob parentis delictum punirentur, eaque pœna afficerentur, quam pater erat commeritus. Quæ cum ita sint, de anima intelligatur oportet; & cum contrariorum eadem sit scientia, concludimus ejus, qui excisionem meritus est, animam non exstirpatam deletamque iri: sed post discessum a corpore, fructu suorum operum frustrandam esse. Priusquam desino, illud monitum oportet, quod R. Moses Ægyptius existimat excisionem illam animæ, nihil aliud esse, quam ejusdem annihilationem. At vero R. Moses Gerundensis, & doctissimus vir Abravanel, diversum sentiunt: animam enim nunquam totaliter aut prorsus evanescere aut perire volunt: sed pœnam illam, qua anima afficietur, dicunt aliud nihil esse quam absentiam & carentiam divinæ gratiæ & glo-

riæ; quæ pro ratione delictorum longa vel brevis est futura. Post hæc, cum punita satis, & ab omni pœna soluta erit anima, tum inquiunt, jungetur ramulus iste iterum radici suæ, a qua absciflus erat. Atque hæc quidem quantum ad propositum nostrum attinet, sufficiant.

Cap. XI.

Animæ immortalitas ex Prophetis probatur.

LVbet venire ad Prophetas: nõ pauciora enim in iis occurrunt loca, ex quibus certo evincitur, animam esse immortalem. Et primum quidem offert se nobis locus ille, ubi Abigail prudentissima femina Davidi in itinere obviam facta, eum rogat, ne ob contemptum, & injuriam, qua a marito suo Nabale affectus erat, nimis indignetur. Verba ejus hæc sunt. *Et erit anima Domini mei colligata in fasciculo vitarum, cum Domino Deo tuo, & animam inimicorum tuorum funda jaciet, in medio curvaturæ fundæ.* His verbis non tantum indicat animam immortalem esse: sed post hanc vitam spem præmii & pœnæ esse. Quicunque enim per omnem vitam operam dedit, ut Domino & creatori suo placeat, observando præcepta ejus, & perscrutando ac considerando divina ejus opera; ejus profecto

1. Sam. 25.29.

fecto tam egregia & bona voluntas atque intentio, post hanc vitam, animam non deserit: sed anima ista bona voluntate plena prosequitur contemplationes suas, & in cœlum sublata, ubi res divinissimas & a materia abstractas speculatur, si comperiat, respondere eas imagini & ideæ quam apud se in hac vita de illis conceperat, nulla voluptas, aut beatitudo animæ contingere potest, quæ cum illa conferre mereatur. Rem illustremus exemplo. Si quis famelicus somniet sese cibo potuque refici & ad saturitatem usq; expleri, experrectus autem, comperiat totum istud nil nisi somnium esse, haud mediocriter contristabitur. At si expergefactus videat ante se mensam positam, variis cibis epulisque instructam adornatamque, mirum in modum exhilarabitur, multoque adeo magis, quam cum somnians id sibi tantum imaginabatur, quia tum actu & re vera fruitur istis rebus, quarum suavitatem sola dumtaxat phantasia & imaginatione antea in somno perceperat. Haud aliter sane cum anima se res habet, si comperiat in altero mundo eam rerum conditionem & naturam esse, quam sibi in hoc mundo imaginata est: dici non potest, quanto gaudio perfundatur. Verum si opinione sua fallatur, usque adeo dolet, ut dolor iste,

cum

cum eo qui ex attactu ignis, & ferri candentis percipitur conferri nequeant. Totum istud aliunde non provenit, quam ex eo, quod anima sese molliori vitæ in hoc sæculo tradiderit, corporis voluptatibus sese affatim proluerit, contra naturam suam propriam. Ex eo fit ut post mortem easdem voluptates appetat, cumque in corpus reversa, non reperita media ista, quæ ad voluptates istas consequendas necessaria sunt, elevet atque erigat sese naturæ suæ proprietate sursum, ut se iterum jungat formis immaterialibus. At destituta principiis, quæ sunt recta institutio, & divini cultus exercitium, frustra, nitatur, atque ita huc, illuc, in partesque rapta varias, ob contrarios illos affectus & desideria impotentiamque jungendi se immaterialibus formis, majori pœna afficiatur, gravioresque cruciatus patiatur, quam qui mente & cogitatione comprehendi possunt. Quod non obscure indicavit sapiens illa femina Abigail cum diceret, *anima Domini mei ligata erit in fasciculo vitarum cum Domino Deo tuo*. Quam istud de unione cum Deo in altera vita intelligendum est, quæ nunquam solvetur. Cæterum, *anima inimicorum tuorum jacietur in curvatura fundæ*; quia sc. duabus contrariis affectionibus prædita, una, quæ ad terram

ram deorſum tendet reſpectu corporis; altera quæ ſurſum verſus fertur ad ſpeculandum ſubſtantias ſimplices & quæ a materia ſunt ſeparatæ, & in neutra deſiderio ſuo ſatisfacere valens, perpetua quadã inquietudinẽ jactatur, non aliter quã ſi in curvatura fundæ, huc, illuc agitaretur. Atque hinc quidem ſatis evidenter conſtat, animam eſſe immortalem.

II. Id ipſum quoque conſtat ex hiſtoria Pythoniſſæ, quæ Samuelem in vitam revocavit, de qua nihil attinet pluribus dicere.

III. Cum Tecuitis, prudentiſſima femina, apud Davidem pro Abſalone filio intercederet, hunc in modum dixiſſe legitur: *Quia moriendo morimur, & veluti aquæ effuſæ in terram, quæ non colligentur, & non tollit Deus animam: ſed cogitat cogitationes, ut non expellat a ſe expulſum.* Mens verborum eſt, omnes naturaliter morimur, & quemadmodum fieri non poteſt, ut effuſæ in terram aquæ in unum recolligantur, ita etiam, nemo mortem effugere poteſt. *Non tollit animam Deus*, id eſt, non plane neque in perpetuum eam privat præſentia ſua: ſed aliquamdiu: nam quæ ſemel ei conjuncta & unita fuit, poſtquam expulſa & ejecta ab eo eſt, non ſemper neque in æternum expulſa manet: nam pœna utraque tum quæ in hac, quam quæ in altera

2. *Sam.* 14.

VI. Ex translatione Eliæ cum corpore simul & anima, idem etiam confirmatur: hoc enim certissimum judicium est, animam esse immortalem.

VII. Iesaias expressis verbis docet animæ immortalitatem, cum inquit, *Quia non in sempiternum litigabo, neque perpetuo irascar quia spiritu a faciebus meis involvet se, & animas ego feci, propter avaritiam cupiditatis ejus iratus sum, & percussi eum abscondendo & iratus sum, & abiit refractarius per viam cordis sui. Vias ejus vidi, & sanavi eum, & requiescere feci eum, & reddidi consolationes ei, & lugentibus ejus.* Id est, cum homines castigo, non facio id crudeliter, neque in æternum de illo supplicium sumo: nam spiritus quem involvit & vestit corpus, ex me processit: animas ego feci: non enim terra, sicuti brutorum animæ originem habent: idcirco eas tanto amore prosequor. *Ob avaritiam vel concupiscentiam*, quæ communia valde mala sunt, *percussi eum* non rigide nimis: sed *abscondendo me efferbui, quia ibat refractarius & aversus per viam concupiscetiæ suæ.* Sed ubi humiliavit sese, & pœnitentiam egit, vias *ejus vidi, & curavi eum*, eo medicamento animæ, quod David petebat dari. Et supra omnia, *reddam illi,* Cap. 57. 17.

con-

constitisset, jussus fuerit exuere ea, & novis ac melioribus sese induere. Hic antiqui volunt per sordidum illud vestimentum intelligi peccatum, quod Iosua commisit, quando permittebat filiis suis, ut connubia contraherent cum gentilibus, uti constat ex Esdræ libris: per novam vero & mundiorem vestem, significari ajunt, purgationem a peccatis. Textus autem ita sonat: *Et contestabatur Angelus Domini in Iehosuah, dicendo: Sic dixit Dominus exercituum, si in viis meis ambulaveris, & si custodiam meam custodieris, tu etiam judicabis domum meam, atque etiam custodies atria mea, & dabo tibi itinera inter ipsos stantes.* Proculdubio hic præter vulgares honores & dignitates, promittitur Iosuæ locus inter Angelos, qui sunt substantiæ stabiles, & in æternum durantes. Hoc enim indicat vocabulum עומדים id est, stantes. Itaque quis non videt hinc sequi, animam esse immortalem?

XI. Denique concludamus hæc verbis, quæ apud Prophetam Malachiam; omnium Prophetarum ultimum circa finem leguntur, Deum missurum esse ante diem judicii Eliam. Quomodo obsecro hoc fieri poterat, si anima ejus non erat immortalis? Cap. 4.

tempore mortis.

IV. Idem in Psalmo alio confirmat; *quam magnum est bonum tuum, reservasti iis qui te timent.* Hoc sine dubio intelligendum de præmio, quod manet animas in futuro seculo. Idcirco utitur voce צפנת, quæ proprie significat, *abscondidisti*, quia præmium illud a sensibus absconditum est, & in hoc mundo oculis incomprehensibile. Psalm. 31.

V. Cum autem præmium hoc rarum & singulare bonum sit, ac proinde ad quod consequendum requirantur singularia merita, & bona opera; idcirco alibi dicit: *Vtinam crederem videre in bonitatem Domini Dei in terra viventium.* Hoc aliter explicari non potest, quam de gloria Domini, qua justi fruentur in futuro seculo. Vocatur autem locus præmii & beatitudinis, terra viventium, quia e contrario locus supplicii, in quo animæ impiorum puniuntur, vocatur Gehinnam. Gehinnam enim est locus vicinus urbi Hierosolymæ, contemptissimus, in quem projiciebantur sordes ac cadavera, fuitque illic אש תמיד ignis perpetuus ad comburendum cadavera, ossa, ac reliquas sordes. Locus præmii vero appellatur terra viventium, vel quia is paradisus est, 27.13.

rata a corpore cœlum petit.

VIII. Idem quoque videre eſt, ex Pſalmo cxvi. cum David ob perſecutionem Saulis, ait. *Revertere anima mea ad requiem tuam, quia Dominus retribuit ſuper te: quia eripuiſti animam meam ab inferno: oculum meum a lachryma, pedem meum ab impulſu. Ambulabo ad facies Domini, in terra viventium.* Quaſi diceret, quoniam video adeo me afflictum, redi anima mea ad requiem tuam, quia ibi tu libera ab inferno, & corpus abſque noxa & offenſa, ſecure vivet, coram Deo, in terra viventium, id eſt, in altero mundo.

IX. Idem Salomon quoque in proverbiis ſuis teſtatur, cum ait, *Moriendo improbus ſpem amittit, & ſperat in morte ſua juſtus.* Prov. 11.7. Si quæ loca ſunt, ut multa ſunt, ex quibus ſententia de immortalitate animarum dilucide probatur, certe inter ea quoque hic locus recenſeri meretur: nam ex eo luce meridiana apparet, juſtorum animas poſt mortem ſpem reliquam habere. nam uti David inquit, *Iuſtus ut palma florebit.* id eſt, veluti Pſal. 92. palma nullos fructus profert, niſi poſt ſeptuaginta annos, ex quo plantata eſt, uti rerum naturalium ſcriptores tradunt; ita etiam homo poſt hanc vitam, quæ eſt 70 annorum,

 flo-

floret, & perfectionem sui consequetur; malus vero & improbus, quando moritur, plane interit.

X. Alibi Salomon præcipiens parenti, ut filium erudiat, & castiget, inquit. *Tu in virga percuties eum, & animam ejus ab inferno erues.* Hoc non potest de sepulchro explicari, quia nemo, quantumvis eruditione & moribus optimis præditus, mortem effugere potest.

Prover. 24 14.

XI. Præterea in Ecclesiaste idem auctor id ipsum manifestissime ostendit, cum ait, *Laudo magis mortuos, qui jam mortui sunt, quam vivos, qui etiamnum vivunt, & præ utrisque, eum qui nondum natus est.* Hoc loco sapientissimus vir, tres status facit animæ, unum, cum nondum in lucem edita est; alterum, cum corpori conjuncta est; tertium, quando a corpore rursus separata in cœlos revertitur. Postremum statum dicit, potiorem esse secundo, & postremo primum. Atque hinc apparet, non tantum animas esse immortales: sed etiam ante corpora esse creatas. Nemo enim potest laudare illud, quod actu & re ipsa non existit, neque quisquam erit, qui dicet privationem meliorem esse actu. Itaque anima actu existit post obitum, & immortalis est.

Cap. 4. 2.

XII. Præ-

XII. Præterea apud Ecclesiastem id confirmatur his verbis, *Melior est fama, quam oleum bonum, & melior est dies mortis, quam dies natalis. Melius est ire ad domum luctus, quam ire ad domum convivii.* Si cum corpore periret anima, omniaque in nihilum redirent, utique præstaret hic genialiter vivere, animumque delitiis ac voluptatibus explere. Hæc enim Atheorum est oratio: edamus, bibamus, cras enim morimur. At Sapiens longe aliter judicat. Cap. 7. 2

XIII. Idem scriptor. cap. penult. dicit. *Lætare juvenis in adolescentia tua, & bonum sit tibi cor tuum, in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in aspectu oculorum tuorum, & scito quod propter omnia hæc adducet te Deus in judicium.* Id est, liberum tibi est quocunque velis agere; cæterum vide quid agas; nam veniet aliquando dies judicii, in quo, pro operibus tuis, vel præmium, vel pœnam recipies, scilicet post obitum.

XIV. Cap. ultimo, de excessu hominis e vita agens, inquit, *Vadit homo domum mundi sui, & circumibunt in domo plangentes.* Animæ hic tribuitur, quod corpore exeat & se moveat, ut perveniat in novum mundum, & beatas sedes. Atqui motus minime posset convenire animæ, si mortalis esset. Vers. 5.

XV. Manifestissimus omnium locus est, ex quo sententia nostra confirmatur, qui
Cap. 11. 8. paulo inferius reperitur. *Redit pulvis super terram, quemadmodum fuit, et spiritus redit ad Dominum, qui dedit illum.* Hoc argumentum adeo firmum est, ut nihil sit, quod huic in speciem possit opponi.

XVI. Idem quoque ex Iobo patet verum
Cap. 12 9. esse; juxta illud, *Quis non novit in his omnibus, quod manus Domini fecit hoc? Cujus in manu est anima omnis viventis, et spiritus omnis carnis viri?* Quid opus hac distinctione animæ dicat quis? Nimirum ut ostendatur quæ sit differentia inter animam brutorum, & hominum. Si enim nulla esset differentia, tum sane comprehendisset Iobus sub anima omnis viventis, ipsam etiam animam hominis, neque distinctionem ullam fecisset. Atque hinc etiam non obscure concluditur animam immortalem esse.

XVII. Præterea Elihu inquit cap. xxx. *Ecce omnia ista operabitur Deus tribus viribus cum viro; ad convertendum animam ejus de inferno, ad lucendum in luce viventium.* Cabalistæ, qui statuunt Metempsychosin sive animarum transmigrationem, dicunt animam ter ex uno corpore in aliud migrare, ut emendet & purget se ob omnibus illis vitiis,

tiis, quibus se in corporibus prioribus inquinavit: post tres vices istas anima, inquiunt, aut pura & limpida redditur, aut sine ullo remedio condemnatur; atque ita illi hos versus explicant. Verum ego aliud quid tribus istis vicibus designari puto, nempe tria judicii tempora, quibus Deus de hominibus judicium fert: primo in hac vita, ratione corporis; deinde post hanc vitam, ratione animæ; denique die resurrectionis mortuorum, cum Deus, reuniendo animam cum corpore, hominem totum judicabit. Sed de hoc in sequentibus. Itaque secundum Elihu Deus ter quidem agit cum hominibus, ut anima ejus luceat in luce viventium, id est, in glorioso ejus statu.

XVIII. In Chronicis legere est, quomodo rex Asa etiam tum superstes sepulchrum suum, quod sibi parari curaverat, impleverit variis aromatibus, & omnis generis odoramentis: quod videtur ab eo factum eam ob causam, ut ostenderet se credere aliquando tempus futurum, quo suis, liber ab omni mutatione & corruptione restitueretur. Confirmat hanc rem non parum, quod indubium sit ex facto isto Asæ consuetudinem inter Hebræos manasse conspergendi tumulos aromatibus (uti Iosephus refert a rege a- *1. Chro. 16.8.*

 liquo

liquo factum fuisse, tempore secundi templi, eamque esse judicium & signum immortalitatis. Atque idcirco honores ejusscemodi olim etiam tumulis Prophetarum & piorum, dati sunt; uti nunc hodieque sapientum sepulchris haberi solent. Itaque, ut sermonem nostrum finiamus, neque diutius huic proposito immoremur, hoc pacto responsum volumus hominibus Atheis & Zaducæis, qui negant ex lege divina posse probari animæ immortalitatem; non pauca scilicet, sed plurima esse loca, ex quibus contraria, & verior sententia comprobatur. Nos quantum potuimus, recensuimus xliii. loca, quæ cum xxiv. illis, circa articulum de mortuorum resurrectione citatis (eodem enim illa pertinent) faciunt lxvii. loca. Quæ etsi talia sint, ut nobis videantur solidissima esse ad sententiam de immortalitate animarum probandum: nihilominus tamen libenter aliis hac in rem ingenii amplius exercendi materiam relinquimus.

Cap.

Cap. XIII.

Redditur ratio, quare lex non aperte meminerit præmii, vel pœnæ post hanc vitam.

ZAducæi, & cum his athei nonnulli, inquiũt, in tertia sua propositione, quod lex promittat dumtaxat temporalia quædam bona, nulla autem spiritualia: verosimillimum autem esse, si ullum præmium, vel pœna homines in altera vita manet, Legem ejus res mentionem facturam fuisse. Ad hoc respondemus: etiamsi ex antedictis satis liqueat animam esse immortalem, & præmium, vel pœnam post hanc vitam exspectandam esse hominibus, pro cujusque meritis: manet tamen dubium hoc reliquum, qui fiat quod in lege non ista ipsa veritas clare aperte ac manifeste proposita legatur; uti observatum est ab excellenti dignitate & immensa eruditione viro D. Hugone Grotio. Vt igitur huic quæstioni satisfaciamus, lubet hic in medium adferre, quod ad eam multi præclari viri dixere.

l. 2. De verit. Relig. Christianá.

R. Moses Ægyptius, inquit, in variis operibus suis, animæ certum præmium & pœnam

Sepher a-Mada cap. In Perele Helec & in halachot Tesuba cap. 9.

pœnā fore, & quidē modo spirituali nempe in sequenti vita: cæterum ea in lege certo ac specialiter non explicari: quia Deus ex amore, non vero ob spem remunerationis coli vult. Itaque cum Deus pollicetur satietatem, pacem, liberos, dilatationem imperii, præceptorum suorum observantibus: & e contrario famem, bellum, mortem liberorum, regni imminutionem, morbos, & id genus alia, legum transgressoribus; eo Deum nihil aliud significatum velle, quam se piis suis cultoribus dare velle, & impiis non dare vel adimere media ista quæ utilia & idonea sunt ad præmium spirituale & æternum consequendum. Quasi diceret, si gnaviter præcepta mea observetis, & in iis vos diligenter exerceatis, omnia obstacula a vobis auferam, quæ vos impedire possunt & remorari, quo minus in isto tum sancto studio & exercitio gnaviter pergatis, nempe infirmitates, bella, famem, & ejusmodi mala; contra vero opes, sanitatem, vires, delicias vobis dabo, ut nullo negotio, liberi atque expediti ab occupationibus secularibus perveniatis ad illum perfectionis gradum. At vero si sedulam observationem meorum præceptorum negligatis, temporalis alicujus commodi & quæstus gratia: quæ sæpe nil, nisi

nisi fomenta sunt superbiæ, tum ego vobis eripiam valetudinem, filios, pacem, & ejusmodi bona, & eorum loco vos variis ærumnis ac miseriis affligam, quæ vos inidoneos & ineptissimos reddent, ad eam felicitatem consequendam.

II. R. Moses aliter etiam huic quæstioni occurrit. Bona & commoda dierum Messiæ, inquit, potuere omnes Prophetæ comprehendere, ideoque de eorum promissione clare atq; aperte satis locuti sunt. At de glorioso animarum statu nihil dixerunt ne dissertatiunculis & adumbratione quadã imminuerent ejus magnitudinem. Iuxta illud *Iesaiæ*: *oculus non vidit Deum præter te, faciat expectanti ipsum*, Idcirco antiqui dixerunt כל הנביאים כלם לא נבאו אלא לימות המשיח אבל העולם הבא עין לא ראתה אלהים זולתך (Omnes Prophetæ vaticinati tantum sunt de diebus Messiæ; at mundum futurum oculus non vidit.) Potest & alia dari ratio, nempe hæc, quoniam felicitas, quæ futura est diebus Messiæ, ad corpus & animam pertinebit, idcirco eam per speciem a rebus corporeis haustam atque acceptam imaginari sibi potuere Prophetæ: cæterum mundum futurum, qui tantum ad animam pertinet, & mere spiritualis est, non potuerunt mente & cogitatione assequi; quia spiri-

Iesa.64.3.

ſpiritualia non poſſunt apprehendi a ſubſtantia corporali.

III. Doctiſſimus vir Aben Ezra, ait, præmium futuri ſœculi difficillime compræhendi poſſe. At legem latam eſſe non ſapientibus ſolum: verum etiam cujuſvis ordinis hominibus, pueris, iuvenibus, viris, mulieribus, peritis, & imperitis. Hanc cauſam eſſe cur Deus ſeſe iſtorum omnium captui accommodaret, in Lege non promiſerit niſi corporalia bona, quippe quæ ab omnibus percipi & intelligi poterant: ſervans reconditam & relinquens doctis & ſapientibus eruendam, ex variis legis locis, illam futuram beatitudinem. Atque hæc eadem cauſſa eſt, cur nulla mentio aperta fiat in Geneſi, ſub metaphora tantum proponatur, quia videlicet Angeli corporeis ſenſibus videre nequeunt. In eadem ſententia eſt Rabenu Bahye.

Paras Bereſit. Hicarim lib 4. cap. 41. Cuzari lib. 1.

IV. R. Niſſim, R. Ioſeph Albo, & ante illos R. Iehuda Levita, nodum illum diverſimode ſolvunt: dicunt enim Deum in medenda anima, ſimilem eſſe medico peritiſſimo. Hic enim in curanda valetudine hoc agit, ut pellat cauſam & materiam morbi nulla habita ratione ſymptomatum, quæ deinde nullo negotio & ſponte ſæpe deſinunt, ac

ceſ-

ceſſant, quia ſublata cauſa, tollitur effectus. Eundem plane ad modum ſemper Deus egit. Cum enim primi mortales, filii Adami & Noachi pene omnes paucis quibuſdam eximiis, ut Semo, Hebelo, exceptis ad idololatriam deflexiſſent, & credentes mundum eſſe æternum ac per naturam ſuam immutabilem, nullam prorſus Dei providentiam agnoſcerent; ecce miſericors Deus, ut iſtos ita miſere aberrantes in populum ſuum adſciſceret reduceretque in viam, per contrarium illis manifeſtum fecit per prodigioſa & miraculoſa opera, ut intelligerent, quod ipſe eſſet autor mundi, quodque mundum ex totali privatione creaverit; quodque imperium jus ac poteſtatem habeat, pro arbitrio ſuo variandi atque immutandi rerum naturas. Quo impetrato ab eis, facile etiam porro impetrari poterat, ut crederent ac concederent divinam providentiam. Ea cognita, proclive erat credere etiam præmium aliquod ſpirituale eſſe. Hoc pacto egit olim Deus cum hominibus ante Legem latam. Nec aliter egit in Lege ſua quam Iſraelitis dedit. Nam ſi multa in Lege iſta mentio futuræ vitæ, & reſurrectionis mortuorum facta ab eo fuiſſet, ridicula ea populo viſa fuiſſet, quia providentiā divinā negabat.

Quocirca

nam negabat. Quocirca sapientissime fecisse Deum credendum est, quando in ea promisit populo suo ejusmodi bona, quæ sensibus eorum obvia erant, & manibus tantum non palpari poterant. Qua benevolentia, summaque Dei benignitate, cum populus eo adduceretur, ut errorem suum agnosceret, animumque ad pleniorem disciplinam hauriendam compositum habere inciperet; misit Deus Prophetas, qui clarius loquerentur, de mortuorum resurrectione, & vita spirituali. Nahaman cum a lepra liberatus esset, inquit, *Nunc video, quod nullus sit*
2. *Reg.* 5. 15. *Deus, nisi in Israele.* Si dictum ei fuisset, post hanc vitam, aliam vitam futuram, in qua præmia justis distribuenda sunt, haud dubie, fabulam sibi obtrudi dixisset & sannis eam excepisset. Post hæc voluit Deus hominum animos miraculis disponere, & præparare ad religionem recipiendam, ita ut quicunque videret per Mosem & reliquos Prophetas tot ac tanta miracula fieri, quæ in admirationem & stuporem raperent ipsos magos; mox cogitaret, fieri non posse, ut in ejusmodi viris humana dumtaxat, ac non divina quædam vis dominaretur, quod illis obtemperaret ipsa rerum natura.

Aben Ezra in fine Deut.

V. R. Bahye Senior inquit, Remuneratio

tio animarum, ſive beatitudo eſt naturalis & neceſſaria: idcirco non pertinet proprie ad legem divinam: nam multi qui de Lege hac nihil ſciverunt, ſolis naturalibus rationibus adducti, beatitudinem æternam dari conceſſerunt. Atque hæc cauſſa eſt, quod lex ejus non meminit: nam ea quæ lex pollicetur, ejuſmodi ſunt, quæ excedunt ordinem naturæ, & ex ſola providentia fluunt, juxta illud, *Et praecipiam benedictioni meæ vobis in anno ſexto & faciet proventum tribus annis; quicunque vero decimas non dederit, fiet pauper.* Item, *Non erit abortiens in terra tua, &c.* Levit. 25.21.

Itaque non naturalia, ſed ſupranaturalia ſunt legis propria, in quantum lex divina eſt. Idem ſentit quoque R. Moſes Gerundenſis in gloſſis ſuis, ad Paraſa Vayeræ, & Behu cotay.

VI. R. Sebadyah aliter reſpondet. Oracula veterum falſo promittebant bona temporalia: quando autem vates ea reddebant, reſpicere ſolebant ad conſtellationes, & ſiderum poſitum, quia credebant ſidera per occultas quaſdam influentias, in hæc inferiora agere. Idcirco Deus benedictus, ne populus Iſraelis iſta idololatria ſeſe inquinaret, prohibuit omnem cultum falſorum deorum: juxta illud, *Non incurvabis te diis eorum, ne-*

que servies iis, sed servies Domino Deo tuo. Quia in manu & potestate ejus est, omnia tibi largiri, quæ ab eo petieris. *Et benedicet pani tuo, & aquis tuis, & removebo infirmitatem de interiore tui.* Hæc omnia bona & commoda, etiamsi Deus Israelitis promittat, propter fugam & odium idololatriæ: nihilominus tamen alibi non obscure mentionem facit præmii spiritualis,

Parassat Heceb, Hicarim l. 4. cap. 40.

VII. Doctissimus R. Moses Gerundensis, item clarissimus R. Ioseph Albo, optime sane solverunt quæstionem. Quando Deus in Levitico, aut Deuteronomio, inquiunt, loquitur de præmio & pœna, neutiquam illud de spirituali prẽmio intelligi potest: quia promissa illa universim ad omnes Israelitas pertinent; juxta illud, *Ambulare faciet Dominus te, & regem tuum in terram, quam non nosti: suscitabit Dominus adversus te gentem peregrinam.* Et ejusmodi plura alia generalia quædam sunt, quæ omnes & universum spectãt. Enimvero quando judicium generale ferendum erat de populo vel beneficiis vel malis adficiendo, & pace ei danda, aut bello eum puniendo: semper ratio haberi solebat vel meritorum vel demeritorum universi populi: secundum illud quod R. Moses ex antiquis scriptoribus refert.

Deut. 28 36.

Halach. Tesuba cap. 3.

המדינה אם היו זכיות כל יושביה מרובות על עונותיהן הרי זו צדקה ואם היו עונותיהן מרובין הרי זו רשעה.

(Provincia ſeu regio aliqua, ſi plura fuiſſent totius populi merita ſive bona opera, quam delicta & vitia, juſta & proba eſſe judicabatur: ſi vero major copia vitiorum, quam bonorum operum in ea locum habuiſſet, impia & prava cenſebatur.) Itaque ſi modo major pars populi juſte ac probe vivebat, impii eiſdem etiam temporalibus bonis fruebantur, cum juſtis hominibus: nempe eadem & communis omnibus erat pluvia, pax, & reipub. tranquillitas, una frugum copia, pecorum abundantia, & id genus alia. Et contra ſi maxima pars populi laſcive, improbe, atq; inhoneſte vivebat, una cum illis boni puniebantur. At illud profecto animæ nullo modo poteſt applicari, ſecundum illud Ezechielis, *Anima quæ peccat, morietur*: unaquæque enim pro operibus ſuis, in mundo animarum, prçmio vel pœna afficietur. Quare illud bonorum genus, quod unicuique proprium & ſingulare eſt, nullo modo pertinet ad generale & univerſale fœdus, quod Deus cum Iſraelitis pepigit. Quale enim illud ſit, alibi diximus.

VIII. Homines voluptuarii, & corporis potiorẽ, quam animi ſui curã gerentes, dele-

ctantur magis præsentibus, quam futuris, afficitiunturque minus quæ intellectui, quam sensibus obvia & exposita sunt; ac proinde fit, ut licet multi sæpe sint, qui sensu immortalitatis afficiuntur, & aliquo modo etiam credunt aliam post hanc vitam futuram esse: nihilominus tamen difficulter id sibi persuadeant. Perpaucos etiam reperias, qui hic malint improspere vivere, ut postea in alia vita felix & beatissimum ævum transigant: nimis enim carnales homines sunt; quæ vident, tangunt, & manibus prensant ea impensissimè diligunt atque amant. Quamobrem existimo, si Deus Israelitis spiritualia bona promisisset, haud ita in multis ea magno in pretio habituros fuisse: idcirco sapienter Deus, ejusmodi bona iis promisit, quæ singulis, & universis longe gratissima erant. Etenim victus, & amictus, valetudo prospera, liberi, pax, robur, potentia, opes & copiæ talia fere sunt; quæ homines amant, quærunt, atque expetunt. Atque hæc quidem hactenus, quantum satis est, ad solvendam tertiam illam objectionem Zaducæorum & Pharisæorum.

Quod autem dicunt Patriarchas nullam alterius vitæ rationem habuisse, neque Isaacum, cum Iacobo filio suo benediceret, alia bona

bona ei promisisse, quam caduca & temporalia, in eo vehementer falluntur atque errant: nam idcirco Abrahamus vitam suam, filiique sui, susque deque habuit, & omnia bona temporalia, a Deo sibi promissa posthabuit; quin imo idcirco in animum induxit filium sua manu necare, ut æternæ vitæ fieret particeps. Adde, quod Isaacus benedicens filio suo promisit ei spiritualia bona: quod ex eo deprehendere licet, quia ante benedictionem corporalem, bis positum legitur, ויברכהו & benedixit illi. Quod quidem etiamsi non clare isto in loco explicatur: nihilominus tamen certum est, de spiritualibus, dumtaxat bonis intelligendum esse. Vbi vero incipiunt benedictiones temporales, inquit, ויתן *& det tibi Deus de rore cœli, &c.* cum ו vau conjunctivo, per quod sequens periodus solet cum antecedente copulari. Idcirco antiqui dicunt illud ו vau esse emphaticum, benedictionesque spirituales eo contineri. Denique Iacobus voluit cum patribus sepeliri, & Iosephus præcepit suis, ut ex Ægypto discessuri ossa sua secum asportarent: quæ omnia talia sunt, ut ex iis facile appareat, eos credidisse animam esse immortalem: nam si mortalis esset, ridicula certa ista cura & solicitudo eorum fuisset.

Cap. XIV.

Aliquot versiculi Psalmistæ explicantur, qui supra sunt allegati.

UT intelligatur vera sententia istorum locorum, quæ ex Psalmis, pro sua opinione firmanda, Zaducæi & athei adferunt, quæque jam ante citavimus, dicemus nonnulla deinceps. Indubium est, quin pluribus in locis, uti a nobis quoque ostensum est, Psaltes clare & distincte significet, animam esse immortalem. Quamobrem versus isti, qui negare illud videntur, aliter necessario explicandi sunt. Nos id impræsentiarum idcirco faciemus per singulos discurrendo, ut veritas rei elucescat. Primo itaque ad illud
2. Sam. 12. Davidis: *Nunquid potero eum revocare āplius? ego vado ad illum, & ille non redibit ad me.* Dicimus, quod inde non modo nō consequitur animam esse mortalem, sed contrarium potius, scilicet animas, post separationem a corpore esse, & existere. Primum ex eo liquet. Quia David ibi loquitur de eo, quod fit secundum ordinem naturæ, nulla habita ratione ad miraculosam mortuorum resurrectionem. Nam e se ipso agens, ait. Quid? An forte ego ad eum redire potero naturæ Legem sequens? Eheu, nequaquam. Quod enim

enim ad naturæ legem, attinet: ego ad illum ibo, at ille non redibit ad me; quia nemo naturaliter ex morte reviviſcere poteſt. Secundum probatur ex eo, quia David ſibi, ubi ex vita diſceſſerit, attribuit motum; defunctoque filio, eſſentiam, & exiſtentiam: ideo enim dicit, *ego vado ad illum*. Quod ſane facere non potuit David, ſi per mortem omnia in nihilum abeunt.

Deinde Zaducæi pro ſententia ſua citant verſum Pſalmi ſexti, ubi dicitur. *Quia in morte non eſt memoria tua; in inferno quis laudabit te?* At ex iſtis verbis nullo modo ſequitur, ingens iſtud abſurdum, quod iſti concludunt: David præcedente verſu oraverat pro ſalute animæ ſuæ: *Revertere dixerat, o Domine, eripe animam meam, ſerva me propter miſericordiam tuam.* Mox deinde addit. *Quoniam in morte non eſt memoria tua, &c.* Vbi notandum eſt vocabulum שאול, *ſeol*, abſque dubio modo ſignificare ſepulchrum, modo infernum; & vocem יודה, *jode*, ſimiliter duplici ſenſu uſurpari, ita ut nunc laudem, nunc pœnitentiam ſignificet. Quare ſecundum priorem ſenſum horum verborum dicimus Davidem petere, ut liberetur ab infirmitate & imbecillitate ſua, atque ad ſanitatem reſtituatur: idcirco antea dixit;

Sana me Domine, quoniam territa sunt ossa mea.
Quoniam vero justi ac pii homines, ideo sibi vitam vitalem esse cupiant, ut laudent & celebrent nomen Domini, cumque post hunc mundum qui operibus destinatus est, præmium secuturum sit, propterea Deo hunc in modum persuadere nititur; Domine Deus si morior, non potero gloriam nominis tui celebrare. Quis enim est in sepulchro, qui laudet te? Nempe quia tum corpus non absimile saxo est. Quare concedes mihi velim vitam longiorem, ut corpore simul atque anima majestatem tuam prædicem, eaque opera exerceam, per quæ merear, & dignus inveniar cælesti tua cohabitatione. Idem alibi
Psalm. dixit, *Non moriar, sed vivam, & enarrabo*
118.17. *opera Domini.* Item: *Psalmo 104.33. Cantabo Domino in vitis meis, canam Deo meo in adhuc me.*

Præterea Hiscias, cum vita ejus XV annos esset prolongata, inquit, in oratione sua:
Esa.38. *Quoniam sepulchrum non laudabit te, mors*
17. *glorificabit te, non sperabunt descendentes ad infernum in veritatem tuam: vivus, vivus laudabit te, sicuti hodie ego.* Idem dicit quod nos ante diximus. Hunc scilicet mundum esse, in quo virtus & vitium locus habent: in altero vero tantum operum remunerationem lo-

cum

cum habere. Si poſteriorem ſenſum & ſignificationẽ ſequamur, dici poteſt, Davidem petere, ut anima ſua ſervetur, ac ſalva fiat. Enimvero quia multi juxta Cabaliſtas & Platonicos, qui deſcendunt ad infernum, ſine ulla pœnitentia in eadem & ſimilia vitia obſtinato animo ruunt, malum malo cumulantes: idcirco in Zoar colligitur ex hoc verſu, *Et egredientur & videbunt in cadavera virorum prævaricantium in me*. Non dicit textus, rebelles fuerunt, ſed ſunt, in tempore præſenti. David dicit, Domine ſi tu me non ſalvas, & peccatum meum mihi non remittis, mortuus tui recordari non potero: quis enim in inferno peccata tibi confitetur? An forte illic pœnitentiæ locus eſt aut recordationi eorum quæ conducunt ad ſalutem? Nequaquam: illic omnia ſunt mera pœna, omnia tormentum, omnia contumacia, omnia purum putum malum. In eandem ſententiam verba Hiſciæ explicari poſſunt: quaſi dixiſſet, Domine ſepulchrum te non laudat, neque tibi confitetur: nam corpus mortuum nihil eſt: multo minus ergo habent, quod ſperent in veritatem tuam ii, qui deſcendunt in בור puteum ſeu profundiorem inferni locum: ſed viventes, viventes quemadmodum ego in corpore & anima, illi ſunt, qui

Eſa. 65. 24.

nominis tui magnitudinem celebrare poſſunt. Quare ex hoc loco aliud nihil concluditur, quam corpus in ſepulchro poſitum non poſſe exercere actus meritorios, eoſque qui peſſimis operibus & vitiis ſuis meriti ſunt æternum puniri, Cimmeriis quaſi tenebris, & craſſa ac perpetua caligine involvi ac circumfundi, neque in celebranda nominis divini gloria occupari poſſe: nam etiam iſtic exiſtentes, uti diximus, in eadem pertinacia, ac contumacia perſeverant.

Tertio objicitur illud Davidis quoque, *Psal.29.* *Quæ utilitas in ſanguine meo, cum deſcendam in foſſam? nunquid laudabit te pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Quaſi diceret, Ecquis fructus a corpore meo jam in ſepulchro recondito ad te redire poteſt? num pulvis, (pulvis autem corpus eſt,) laudabit, vel celebrabit veritatem tuam? largire mihi Domine vitam, ut corpus hoc, quod totum nil niſi terra eſt, animæ conjunctum majeſtatem tuam laudibus extollat. Vel per שחת intelligitur omniũ maxima pœna, nempe rejectio & exciſio. Nam uti R. Moſes ait, nulla pœna aut vindicta major eſt, quam Dominus ſumit de malis & improbis, quam ſi excidat animam, eamque prorſus in nihilum redigat. Itaque tum שחת *ſahat* ſignificabit corruptionem: ac

ſi

si David dicat, Cui bono vita mea, si moriar, & totus corrumpar? num anima in nihilum redacta, & solum corpore remanente, pulvis te laudabit, aut veritatem tuam annuntiabit? Profecto corpus qua tale sensu nullo præditum est. Hæc posterior explicatio, priore longe est commodior, & propius scopum Davidis attingere videtur: quia antea dixit, *Domine fecisti ascendere ex inferno animam meam*, *&c.*

Quarto ad illum Psalmistæ 78. *Nam memini, quod caro eram, & spiritus vadunt, & non redeunt.* Respondemus, Davidem illic indicare velle fragilitatem humanæ naturæ, tum ex parte carnis, quam ex parte spiritus sive animæ; quia videlicet anima, ubi semel corpore excessit, nunquam naturaliter eo redire potest. At vero hoc judicando non propterea tamen negat resurrectionem mortuorum, quia hæc miraculosa actio est, quam Deus suo tempore facit. Deinde David loquitur de eo, quod per experientiam hac de re compertum erat. Nemo enim ex morte in vitam redit: Et hac phrasi sive loquendi modo, libere uti licet; sicut nos hodieque ista utimur, qui tamen resurrectionem mortuorum futuram asserimus. Eo autem quod dicit spiritum ambulare, ostendit longe alius indolis animã esse, quã corpus. Nam corpus vita

vita privatum, est instar immobilis saxi. At spiritus seu anima disiuncta a corpore ambulat & movet se, quia scilicet migrat in locum præmii vel pœnæ, prout merita est. Adde si recte consideremus vim vocabuli רוח, id non modo significat animam: sed etiam, secundum R. Mosem, in Directorio, cap. 40. modo spiritum vitalem, modo voluntatem & appetitum. Idcirco, inquit, Deus recordatur hominis, quia caro est, & spiritus ejus cum corpore occidit, abitque, nec revertitur. Vel quia hominis voluntas, adeo variabilis & mutabilis est, ut quod uno die eligit, & probat, altero respuat ac damnet. Sunt tamen, qui volunt per spiritum intelligi appetitum malum, quoniam ille post obitum cessat & abit, neque redibit, ubi corpora defunctorum resuscitabuntur. Sed ad me quod attinet, prior explicatio mihi convenientior & magis quadrare loco videtur.

Ad quintum locũ Psalmistæ 88. *An mortuis facies miracula? an defuncti resurgent, te laudabunt? Sela.* Respondemus, Psalmum hunc (ex opinione R. David Kimchi) in eorum gratiam compositum esse, qui in hodierna captivitate sunt. Idcirco conquerens ait versu præcedente, *Oculus meus doluit, propter afflictionem meam; invocavi te Domine omni die,*

die, distendi ad te volas meas. Quasi dicat, Domine defessus sum orando & invocando te; quotidie largis precibus apud te pro liberatione insto; neque tamen me ab hac afflictione liberas. Quod si omnino decretum est tibi, ut in hac captivitate moriar, an miraculum edes post mortem meam? an eos qui jam defuncti & mortui sunt in vitam resuscitabis, ut laudent te, gloriamque nominis tui rite celebrent? Id si omnino non vis edere dum vivo adhuc, quando tandem id facies? Fortean in sepulchro gratia & misericordia tua prædicabuntur? Minime vero: nam cadaver omnis actionis expers jacet. Sed nec mortui surgent ad laudandum te. Nam si surgerent & laudarent te, non essent amplius mortui, sed in vitam suscitati. Hoc pacto si declarentur hæc verba Psalmi, apparet manifeste, tum non negari a Davide resurrectionē, sed concedi potius. Recte R. Moses ait, ejusmodi versiculi nō significant aliud quidquā effectū de quo loquūtur naturaliter fieri nō posse. Quod & in Mosaico illo dicto usu venit. *Auscultate nunc rebelles, num de hac petra eliciemus vobis aquas?* Quasi dicat: Id naturaliter fieri non potest. Sicut vero hic miraculum quod deinde fiebat excedebat vim & potentiam naturæ, ita etiam hoc in loco,

res

ta igitur opinione Cabaliſtarum, & Platonicorum, de qua in præcedentibus, & ad eam accedentibus hiſce explicationibus, nihil difficultatis remanet, circa reſurrectionem mortuorum.

Cap. XV.

Explicantur loca illa, quæ apud Eccleſiaſten inveniuntur.

QVamvis ex his, quæ hactenus a nobis dicta ſunt, manifeſte ſatis liqueat animam eſſe immortalem: nihilominus tamen, nequid dubii relinquamus, explicabimus verſus Eccleſiaſtæ, ex quibus contrarium videtur probari poſſe. At vero quia explicatio nulla pro vera ac proba explicatione habenda eſt, niſi antecedentia reſpondeant ſequentibus: idcirco textum integrum referemus a capite uſque ad calcem periodi. *Dixi in corde meo ſuper verbum filiorum hominis, ut eligeret eos Deus, & oſtenderet quod ſunt veluti animalia ipſis: quia eventus filiorum hominis, & eventus jumentorũ eſt, & eventus unus eis: ſicut moritur hoc, ita moritur ille, & ſpiritus unus omnibus: amplius homini, quã jumento non eſt, quia õnia ſunt vanitas. omnia pergunt ad locum unum, & omnia ſunt ex pulvere, õniaq; revertuntur ad pulve-* Cap. 3. 18.

pulverem. Quis ſcit an ſpiritus filiorum hominis aſcendat ſurſum, & ſpiritus jumentorum deſcendat ſubtus terram? Et vidi quod non melius, quam quod laetetur homo in operibus ſuis, quia illud eſt pars ejus, quia quis adducet eum ad videndum in illud, quod erit poſt eum? Et converſus ſum ego, & vidi omnes oppreſſiones, quæ fiunt ſub ſole, & ecce lachrymæ oppreſſorum, & non conſolator eis, & de manu opprimentium eos potentia, & non erat eis conſolator. Et laudavi mortuos, qui jam mortui ſunt, magis quam vivos, & qui vivi ſunt huc uſque. Et melior utroque, qui uſque adhuc non fuit, qui non vidit opus malum, quod fit ſub ſole. Atque hæc quidem verba ſunt Sapientis, quæ iſta periodo comprehenduntur. Sed ut rem melius explicemus, ſciendum eſt, quod paſſim in hoc libro Sapiens contradictorias propoſitiones
7.3. referre videtur. Exempli gratia, *Melior eſt*
7.9. *ira, quam riſus*. Contra alibi, *ira in ſinu ſtul-*
1.18. *torum requieſcet*. Item, *in multitudine ſcientiæ,*
11.10. *multa ira*. Alibi, *expelle iram á corde tuo*. Item,
5.17. *Ecce quod vidi ego bonum quod pulchrum com-*
7.12. *edere & bibere*. Alibi, *Melius eſt ire ad domum*
8.15. *luctus, quam ire ad domum convivii*. Item, *Et*
2.2. *laudabo ego lætitiam*. Alibi, *& lætitiæ quid hoc*
6.8. *faciens*. Item, *Quid præſtantius, ſapienti quam*
2.13. *ſtulto?* alibi. *Et vidi ego quod ſapientia præ-*

ſtat

ſtat ſtultitiæ. Item. *Et Laudem ego mortuos.* 4. 2.
Alibi, *& canis vivus melior eſt, quam leo* 7. 4.
mortuus. Sic: *Non eſt ullum opus, neque com-* 9. 10.
putatio, neque ſcientia, neque ſapientia in ſepul- 11. 9.
chro. Alibi; *Et ſcit quod ſuper omnia hæc, te* 3. 13.
adducet Deus in judicium. Item quoque, *Et* 7. 16.
bonum non erit malo, neque prolongabit dies. 8. 12.
Alibi: *Et eſt impius prolongans in malitia ſua.* 8. 14.
Item. *Etiam ſciens ego, quod erit bonum, timenti-
bus Deum.* Alibi: S*unt juſti qui ad eos, ſecun-
dum opus impiorum.* Quis hic non videat, manifeſte ſibi in ſpeciẽ contradicentes propoſitiones? At vero cum hoc non ſit hominis mediocri tantum ſapientia præditi ſibi ipſi tam aperte & toties contradicere, quis hoc de illo ſuſpicetur, quem Deus mortalium omnium ſapientiſſimum reddidit? Porro, licet diſtinctione quadam loca iſta conciliari poſſint, quemadmodum in tertia parte Conciliatoris mei, ex profeſſo & quam fieri potuit, exacte id præſtiti: nihilominus tamen ſi quis ea loca bene conſideret, videbit Sapientem introducere Epicuræum, vel iſtius farinæ hominem loquentem, nullo alio fine, quam ut eum refutet & coarguat. Quod ex eo manifeſtum fit, quia athei ipſi omni retro ævo hodieque ea loca pro ſe adferre ſolent. Quare certum eſt, in locis iſtis

non loqui nisi homines impios & profanos: vel Solomonem in locis istis non loqui nisi ex opinione impiorum & male feriatorum. Dicit igitur textus, *Dixi in corde meo super verbum filiorum hominis.* paraphrastice exposita in hanc sententiam sonant, ac si diceret Salomon. Dixi in animo mecum, quod attinet ad opiniones & discursus filiorum hominis; Deus eos præ cæteris creaturis terrestribus elegit. Et tamen video, quod se transforment in bestias quadrupedes, seque iis plane similes esse imaginentur. Siquidem affirmant unum eundemque hominis & bestiæ finem atque exitum esse: uti bestiæ moriuntur, ita & hominem mori: in utroque eundem esse spiritum. Nulla inquiunt prærogativa in hac parte major apparet in homine, quam in jumentis: omnia sunt mera vanitas, omnia ad eundem locum tendunt, omnia pulvis sunt, & in pulveren rursus convertuntur. Quis igitur est, qui sciat an spiritus hominis sursum ascēdat, quadrupedum in terrā descendat? Video itaque, si vera est illorum sententia, nihil melius satiusque esse, quam ut homo se ipsum oblectet in operibus suis, & hilariter vivat: nam aliud quod expectet, non habet. Ecquis enim erit, qui ei dabit ut videat, aut cogitet de eo, quod post mortem futurum est? Atque

hac

hęceſt cauſa, ob quam me converto ad conſiderandum res mortalium,&ecce video vim ac violentiam ſub Sole exerceri, video lachrymas eorum,qui opprimuntur,neque ullus eſt qui eos conſoletur, aut auxilium adverſus inimicos & oppreſſores eorum præſtet.Ex quo patet, Salomonis his verbis depingi depravatam quorundam hominum opinionem, qui licet conditi ſint ad imaginẽ Dei, ſibi ipſis tamen perſuadent, ſe a beſtiis non differre. Simul etiam judicat Salomon, quam pauci ſint, qui norint animam ac ſpiritum hominis, a ſpiritu atque anima cæterorum animalium diſtinguere: nam ſi verum eſt quod iſti volunt, tum certe longe ſatius foret ex animi ſententia & pollucibiliter vivere,quã ſolicitudine ſe multa cruciare, quid poſtea de nobis futurum ſit. Simulque etiam janua lata aperiretur ad violentias, ſcelera ac flagitia omnia tum patrandum, tum excuſandum. Poſt hæc dicta ſubjungit ſtatim ſapiens Solomon ſuã ipſius ſententiam & dicit:laudo mortuos magis qui mortui ſunt, quã qui vivunt, & utriſq; magis eos qui nunquam fuerunt, neque viderunt impietatem, ſcelera,ac vitia,quę ſub Sole committuntur. Quaſi dicat verba iſta,quæ ante retuli, ſunt verba Epicuræorum & Atheorum quorum iſta eſt ſententia. Ego longe aliter ſentio,nempe laudo

magis eos, qui mortui ſunt, quam qui vivunt, & utriſque magis eos, qui nondum nati ſunt. Tres animæ ſtatus Sapiens hic deſignat, quos retulimus cap. XII. unum ante nativitatis diem, alterum in vita, tertium poſt hanc vitam. Ex his etſi tertium animæ ſtatum magis laudat, quam ſecundum, utriſque tamen præfert primum, id eſt, ſtatum nondum natorum ſive in hanc lucem nondum editorum. Nec fieri poteſt, ut aliter explicentur verba Solomonis, quia id quod revera non eſt, aut omnino non exiſtit, laudare non poteſt, nec privatio actu potior cenſenda eſt.

Eccles. 9 3. Sed veniamus ad ſecundum textum, quem lubet a principio periodi recenſere. *Hoc malum eſt inter omnia quæ fiunt ſub Sole, quod eventus unus ſit omnibus; & etiam cor filiorum hominis plenum eſt malo, & perverſitatis in corde eorum, in vita eorum, & poſt hoc ad mortuos: quia quiſquis eligatur ad omnes viventes, ſpes eſt: quia canis vivus melior eſt leone mortuo: nam viventes ſciunt, quod morituri ſunt, & mortui non ſciunt quicquam, & non ultra eis præmium, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum. Etiam amor eorum, etiam odium eorum, etiam invidia eorum jam periit. Et pars non eis in ſeculum, in omni quod fit ſub Sole. Vade,*

comede

comede in gaudio panem tuum, & bibe in corde bono vinum tuum, quia jam Deus complacet operibus tuis. In omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum super caput tuum non deficiat. Vidi vitam cum uxore, quam dilexisti, omnibus diebus vitæ temporis tui. Quia hæc est pars tua in vita, & in labore tuo, quo tu laboras sub Sole. Omne quod invenerit manus tua faciendum in virtute tua fac: quia non opus, neque computatio, neque scientia, neque sapientia, in sepulchro quo tu vadens illuc. Conversus sum & vidi sub Sole, quod non est levium cursus, neque fortium bellum, neque sapientium, panis, neque intelligentium, opes, neque scientium, gratia: sed tempus & casus accidit omnibus illis. Neque etiam scit homo tempus suum. Sicut pisces capiuntur reti malo, & sicuti aves capiuntur laqueo; sic capiuntur filii hominis in tempore malo, cum ceciderit super eos repente. Etiam hanc vidi sapientiam sub Sole, & magna est mihi. Civitas parva, & viri in ea pauci, & venit adversus eam rex magnus, & circumsedit eam, et extruxit contra eam munitiones magnas, et inventus est in ea vir pauper sapiens, et eruit urbem in sapientia sua, et homo non recordatus est viri pauperis illius &c. Hactenus verba Sapientis. Explicatio eorum manifesta & clara est. Primo

versu conqueritur se observasse ingens aliquod absurdum, in quod pene omnes homines sub Sole consentiunt, id est quod credant unam & eandem omnium hominum sortem ac exitũ esse, & quod maximũ est, quod non dubitent pro malitia animi sui non modo vivos, sed & mortuos lædere, paribusque eos convitiis ac maledictis proscindere. Horum sententia describitur tribus sequentibus versibus: nempe his, qui eligitur ad viventes, illi spes est: nam canis vivus melior est leone mortuo: ratio est, quia qui vivunt etiamsi sint ignorantes, sciunt quod morituri sint: & mortui, licet sint sapientes, nihil sciunt, neque habent ullum præterea præmium, quia tradita est oblivioni memoria eorum, neque amor eorum, neque odium, neque invidia, neque ulla operatio locum habet in mundo, quacunque demum in re quæ fit sub Sole. Quatuor sequentibus versibus describuntur istorum hominum mali mores, eaque vitia, quæ hæc secta secum trahit, & paulatim in animis hominum generat. Facto igitur initio a gulæ vitiis, sic inquiunt isti.

Abi, comede ac fruere cum jucunditate pane tuo, bibe animo bono vinum tuum, neque ulla de re multum solicitus sis; ne de

ea

ea quidem, an Deo placeant opera tua. Hinc ſequitur, quæ ratio veſtri & cura corporis ſit habenda. Semper veſtes tuæ ſint candidæ & nitidæ, oleum ſuper caput tuum non deficiat. Poſt hæc ad luxuriam incitatio fit: Vive vitam cum muliere, quam adamaſti. Vive ut animo collibitum eſt tuo. Denique quodcunque optat manus tua habere, id facito: nam non eſt opus, neque computatio, neque ſapientia neque ſcientia in ſepulchro, in quo mortuus reconderis. Cum itaque a te nulli reddenda ſit ratio eorum, quæ feceris, vivito ex animi tui ſententia ac placito. Hæc eſt Epicuræorum ſententia, & hæc ſunt iſta opera ad quæ inducit homines iſta opinio. Sequuntur duo verſus, quibus continentur rationes, ad quas opera ſua Epicuræi, hominesque impii, exigentes, vident quam abſurda ſit opinio ſua. Converſus ſum, & vidi ſub Sole, ut velocia non currant, neque fortium ſit robur in bello; ſapientibus non eſt panis, intelligentibus nullæ dantur divitiæ, neque ſcientes pollent gratia; omnibus unus, idemque eſt exitus. Et quod omnibus pejus eſt, homines ſubito, ex improviſo, nulla temporis, vel horæ mortis ſuæ cogni-

tione prædititi rapiuntur e vita & capiuntur, non aliter quam aves laqueo, & pisces reti, atque hamo. Hæc cum videamus ita fieri, quomodo fieri potest, ut quisquam credat, judicio hic locum esse ac non casu omnia fieri, vel esse aliquid in homine quod immortale sit ac perpetuum? Atque ita quidem Epicuri sectatores, hominesque mali, ac impii loquuntur, quorum opinione proposita, Sapiens deinde suam sententiam dicit. Vidi quoque scientiam sub Sole, quæ magna mihi erat; *civitas parva*, &c. Quasi dicet, postquam consideravi, quæ Epicuræorum sit opinio, inveni aliam scientiam, ac sapientiam, quæ longe potior, atque excellentior est. Comparat autem parabolice hominem parvæ civitati: uti Græci hominem mundo, vocantes eum microcosmum id est, parvum mundum. In illa civitate, inquit, erant nonnulli homines, id est, membra corporis. Eam venit oppugnatum magnus aliquis rex, qui exstruxit adversus eam arces & castella. Per Regem hunc antiqui sapientes intelligunt appetitum malum & partem concupiscibilem, quà magna vi, ad se pertrahere & sibi subiugare conatur rationem. Addit vero, erat in ea civitate pauper, qui sapientia sua civitatem liberavit, neque quis-

quiſquam illius meminit. Senſus eſt, in corpore etiam eſt ratio, quæ eſt inſtar pauperis, cujus conſilium non auditur, & cujus memoria facile intercidit. Cæterum pauper ille non tantum liberat corpus hominis a vitiis & malis hujus mundi atque a pravis opinionibus, ſed etiam a malis alterius mundi. Alii vero hæc literali ſenſu dumtaxat explicari volunt, quaſi legeretur, Epicuræi pro ſe iſta adferunt, quod videlicet ſcientia ſapientibus nihil profit. Ego vero, inquit Sapiens, contra ſentio, eã multum admodum prodeſſe. Nam eſt inſtar pauperis ſapientis in urbe, quam a principe aliquo obſeſſam, nec præſidio ſatis firmatam, conſilio ſuo ſervat, ac liberat ab obſidione.

In Midras Rut a-Nehelam, paulo aliter hæc exponuntur: nam quod hic dicitur de ſpiritu quadrupedum, qui deſcendit deorſum, explicatur ibi de anima impiorum deſcendente ad infernum. Et per mortuos, qui non ſciunt quicquam, eos qui degunt vitam brutorum, rationi minime conſentaneam, quique non animadvertunt in quem finem ſint creati: tales enim inter mortuos cenſeri merentur. Vtra harum explicationum præferatur, ſive prima quæ cum litera magis convenit, ſive ſecunda quam

ſequentur multi & boni interpretes, ſenſus conſtat. Satis ſuperque igitur comprobata animarum immortalitate, ex multis Eccleſiaſtæ locis nullus dubitationi locus ulterior relinquitur. Si quis tamen dubitare pergat, ei ſatisfieri forte poterit hoc pacto. Nonne dicitur clare in textu: Ego laudo mortuos? An non alibi melior eſt dies mortis, quam dies natalis? & alibi, ſpiritus redit ad Deum, qui dedit eum? Quod ſi quiſquam hos verſus negligat & prioribus tantum inſiſtat, ut animo ſuo ſecurius indulgeat, is neceſſe habet affirmare, iram laudabilem eſſe, optimum eſſe edere & bibere, & quæ non minus quam alia iſtæc affirmantur. Sed quia certum eſt neminem hominem affirmaturum iſta eſſe, neceſſe utique eſt, ut ſicuti diverſimodo explicanda ſingula ſunt, ita etiã verſus hi, de quibus hactenus egimus, diverſimode explicentur, & quidem juxta ea quæ hactenus a nobis relata ſunt.

Cap.

Cap. XVI.

Explicantur aliquot versiculi Iobi ; & totius libri epitome proponitur.

QVamvis R. Semuel Bar Nahmani, in tractatu Baba batra, putet Iobum nũquam in rerum natura existisse, neque historiam ejus vere accidisse; sed tantum parabolam esse dicat: nihilominus tamen aliter omnes sapientes, rejecta ejus opinione, judicarunt. Nam apud Ezechielem Iobi mentio fit. Dicit enim Dominus, si Iobus Noachus, & Daniel fuerint in civitate, soli illi servabunt animas suas. Meminit hic prophetes non plurium justorum ac piorum hominum, quam trium, qui magnam & insignem vastationem viderunt. Iobus enim familiæ suæ, Daniel Hierosolymorum, Noachus totius mundi destructionem viderat. Præterea etiam Scriptura indicat patriam ejus, opes & divitias, liberos, eorumque nomina, & hæreditatem, quam Dominus ei dederat inter fratres, denique vitæ annorumq; ejus numerum refert, quæ omnia historiæ sunt manifesta judicia. Nec dubiũ est, quin Iobus magna cũ patientia adversa tulerit, & si credi fas est, certe

Cap. 14. 13.

certe per traditionem constat, Mahumetanos Canstantinopoli hodieque magna cum religione & devotione venerari Iobi sepulchrum. Vnum est de quo dubitari potest, an Iobus ipse historiam sive librum istum conscripserit. Antiqui ajunt, משה כתב ספרו ופרשת בלעם ואיוב (Moses scripsit librum suum, & sectionem Biliami, & Iobum.) Et sane verisimile est, quia Iobus vivebat temporibus Mosis, omnibus notus erat, ob humilitatem, caritatem, & vitæ singularis exemplum in media divitiarum omnium affluentia; omnibusque constabat eum rigide adeo a Deo afflictum, bonisque omnibus exutum fuisse sive per Satanam id est dæmonium quod tentandis hominibus creatum est, sive per hominem aliquem malignum ac perversum. Sic enim Ieroboam etiam Satan Solomoni fuisse dicitur. Mosem inde occasionem arripuisse agendi de providentia divina, & attribuisse illustribus quibusdam viris, qui tum temporis vivebant opiniones quasdam, quæ ad propositum suum facere poterant. Et quia is qui innocenter affligitur, non raro proferre ac proloqui quædam solet, quæ nunquam alias in mentem ejus venerunt, in scænam quasi produxisse Iobum, cum dolore negantem providentiam divinam, & omnia astrorum influentiis

entiis tribuentem , quin & maledicentem diei conceptionis & nativitatis ſuæ, non aliter quam ſi crederet, omnia infortunia ac miſerias ſuas vel provenire a maligno & pravo ſiderum iſtorum ſub quibus conceptus & natus erat aſpectu , vel omnia caſu evenire & fortunæ arbitrio regi. Dicit enim, *Vnum eſt, perfectum & impium ipſe conſumens*. Denique uſque adeo hæſitantem ac pendulum , quaſi nihil ſpei reliquum eſſe putaret poſt mortem, neque reſurrectionem mortuorum crederet. Idcirco dicunt antiqui , איוב התחיל מחרף ומגדף. Iobus incipit a contumelioſis & blaſphemiæ pleniſſimis verbis. & ibidem איוב כופר בתחית המתים הוה (Iobus negavit reſurrectionem mortuorum.) Hanc igitur ſententiam Moſes non alia de cauſa attribuit Iobo , quam quia arbitrabatur, facile eum ex doloris vehementia , in ea verba potuiſſe erumpere , quando immerito & nulla ſua culpa cruciabatur. Deinde interlocutores aliquos introducit , ſingulis peculiarem quandam opinionem circa cauſſam , ob quam Iobo evenerant , adſignans. Primus qui loquens introducitur eſt Eliphas, qui ſententiam iſtam Iobi damnat. Hic procemio facto, a reprehenſione acri, hunc in modum : Minime equidem o Iob tibi convenit, ut tu , qui alios infelices ac miſeros conſolari

Iob. cap. 9. 22.

ſolari ſoles, tam facile de gradu tuo deiiciaris, & tam effeminate te crucies: ita porro
Cap. 4. 7. inſit. *Recordare nunc, quis innocens fuerit, qui perierit? & ubi recti disiecti fuerint? quemadmodum vidi arantes iniquitatem, & ſeminantes perverſitatem, metent illam. Afflatu Dei peribunt, & a ſpiritu naris ejus conſumentur.* Quaſi diceret, nihil cauſæ eſt, quod calamitates & afflictiones tuas planetis adſcribas: quippe nullus juſtus eſt, qui perit: qui ſeminat perverſitatem, ille etiam eandem metit, atque ſi ſunt qui pereunt, non vi neque injuria aſtrorum; ſed ob iram Dei. Refutata ejus opinione, mox proponit ſuam.
Cap. 4. 18. *Ecce in ſervis ſuis non credet, & in angelis ſuis ponit errorem: quanto magis habitantes domos luteas, quorum in pulvere fundamentum eſt.* Id eſt, mala & afflictiones non fortuitô accidunt: ſed ob peccata hominibus immittuntur: neque pro juſto habendus eſt, qui condemnat juſtitiam Dei, quemadmodum faciebat Iobus: nam ſi in angelis ponit errorem, quid de homine cogitandum, qui ex limo & luto compactus eſt? vel quis ſemper tam conſtans infractuſque reperitur in virtutum bonorumque operum ſtudio, ut non aliquando, ex imbecillitate & inanimadvertentia quadam, in errorem labatur? Atque hæc opinio

eſt

eſt quam Eliphaſo adtribuit Moſes. Cæterum Iobus non acquieſcebat iſtis, quæ ab Eliphaſo dicebantur: proinde pergit defendere opinionem ſuam, multa referens de vanitate hominis, de brevitate dierum, & exigua ſpe, quæ eum poſt obitum manet. Ideo ait, *Quid homo quod magnifices eum, & quod ponas ad eum cor tuum?* 7. 17. Quo oſtendit, ſe plane in ea ſententia eſſe, quod providentia divina ſe non extendat ad res ſublunares, uti ſenſit Ariſtoteles. Hinc alteram opinionem hac de re introducit Moſes, quam tribuit Bildado. Ea hæc eſt; mala & incommoda Iobo evenire, per modum permutationis, & remunerationis, id eſt, quod mala iſta quæ hic ferebat Iobus, mutanda eſſent aliquando in bona, & quod eum Deus in ſeculo futuro remuneraturus eſſet pluribus & melioribus. Idcirco ait, *Si mundus & rectus tu, certe ſuſcitabit te, & pacificum reddet habitaculum juſtitiæ tuæ. Et erit principium tuum, minimum, & noviſſimum tuum creſcet multum.* Cap. 8. 6. Fuit etiam hæc opinio aliorum: nempe probis & piis hominibus nonunquam multa mala contingere nulla ipſorum culpa, ut præmium eorum in vita futura tanto majus & excellentius ſit. Hanc ſententiam quoque rejicit Iobus, & ſuæ mordicus adhærens, ait, *Vnum ipſum,* 9. 22.

ideo

ideo dixi, perfectum & impium ipse consumens. Quasi dicat, eadem mala & adversa bonis & probis cum pessimis hominibus sunt communia. *Unum sunt*; Nam quomodo quis hos ab illis distinguat? Restabat tertia sententia, quam referre voluit Moses, ut omnia complecteretur, quæ ad hanc rem pertinentia dici possint: eam vero adtribuit Zophari. Ea hæc est, Deum omnia agere pro libera voluntate sua, ac proinde non esse anxie investigandas causas operum Dei, neque quærendum, cur hoc, & non aliud potius fiat? Et per consequens non esse inquirendum in vias justitiæ ejus, vel in rationes decretorum aut operum divinorum. Enimvero ex naturæ divinæ excellentia & perfectione est, quod faciat quæcunque vult. Noster vero intellectus imperfectior est, quam ut pervideat aut comprehendat secretum scientiæ & sapientiæ divinæ secundum quam omnia egit. Quia vero Iobus negaverat resurrectionem mortuorum: ideo Zophar hunc in modum orationem suam occipit. Cap.11.3. Mendacia tua, mortuos tacere faciunt, derides sine verecundia. Et dixisti, clara mea doctrina, & purus fui in oculis tuis. Et profecto, quis dabit ut Deus loquatur, & aperiat labia sua tecum? Et denunciabit tibi occulta.

occulta ſapientiæ; quia duplicia ſecundum legem. Et ſcito, quod Deus oblitus ſit tui, propter iniquitatem tuam: num inveſtigationem Dei invenies?num uſque ad perfectionem omnipotentis invenies? Quamobrem concludit, Deum ex arbitrio ſuo cuncta facere, ac proinde, ob profundam ejus ſapientiam, non eſſe in divinorum operum cauſas inquirendum. Quatuor igitur opiniones ſunt de infortuniis Iobi, & per conſequens etiam de unius cujuſque viri boni incommodis ac malis totidem eſſe poſſunt. Prima eſt Iobi, qui negat providentiam Dei, reſurrectionem mortuorum, atque omnia ab aſtris pendere exiſtimat. Altera eſt Eliphaſi, qui omnia providentia Dei adminiſtrari ſtatuit, & pro bonis, bona; & pro malis mala retribui arbitratur. Tertia Bildadis de permutatione. Quarta Zopharis, de beneplacito Dei. Atque hæc ſunt, quæ ſinguli pro ſe quiſque ſuſtinebant: at Iobus hic nihil poterat moveri, & in ſententia ſua perſiſtebat, identidem teſtificans innocenti ſibi ejuſmodi mala evenire, donec tandem, uti textus habet, tres illi cum Iobo deſtiterunt loqui, quoniam eum videbant in oculis ſuis juſtum eſſe. Quare quinta perſona Elihu introducitur,

qui contentioni ultimam manum impositurus, cum animi quadam excandescentia condemnat Iobi sententiam, quod ipse se magis quam Deum justificaret. Reprehendit quoque tres collegas sive socios suos, quod cum non solide satis respondissent Iobo, nihilominus tamen eum condemnassent. Denique post prolixam excusationem proponit suam opinionem, & probat Dei providentiam, ex
Cap. 33. 15. somniis Propheticis; dicendo: *In somnio per visionem nocturnam, cum cadit sopor super homines, in somno super lectum; tunc revelat (Deus) aurem hominum,&c.* Deinde iis quæ vere & recte Eliphas dixerat, adjungit mysterium de transmigratione sive Metempsychosi,cum ait, *Ecce omnia ista operatur Deus,*
Cap. 33. 15. *tribus vicibus cum homine.* Atque ita mirabilem in modum solvit omne dubium. Nempe ostendit Iobum, & quoslibet alios viros justos, posse puniri ob peccata, quæ ante in priori corpore commisere: vel judicat tria illa judicia hominis, de quibus paulo ante diximus, quibus omnia facta ad æquilibrium revocantur. Post hæc progreditur ad secreta naturæ, tractans de meteoris, plantis, animalibus, & eorum naturæ, de providentia divina circa omnia in particulari: concludit tandem sic: Cum multa adeo in natura sunt

ad

ad quæ non penetrat humanum ingenium, certiſſimum eſſe ingenium humanum multo minus ſufficere ad penetrandum arcanum divinæ providentiæ. Poſtrema hæc ſententia, comprobata fuit a Deo, qui deinde Iobum magna creationis myſteria docuit revelando ei piſcem Liviatan, Beemot, & alia multa quæ hominem merito in ſtuporem, & admirationem rapiunt. Quam doctrinam cum Iobus admiraretur, fingit Moſes eum reſipuiſſe, eumque loquentem introducit in hunc modum: *Ad auditum auris te audivi & nunc oculus meus vidit te. Ideo reprobabo me, & recipiſcam in pulvere, & cinere.* Cap 42. 6. Ac propterea Deum quaſi jam etiam pœnitentia ductum in ſodales Iobi iram ſuam concitaſſe ac dixiſſe: *Quoniam non locuti eſtis coram me rectum, ſicuti ſervus meus Iob.* Cap. eod. verſu 7. Nam cæteri perſiſtebant in ſua opinione: ſed Iobus mutaverat ſuam & amplexus erat veriorem. Vel uti antiqui ajunt אין אדם נתפש על צערו (nō caſtigatur homo, ob dolorem ſuum,) id eſt, non punitur quis, cum afflictionis vehementia in cauſa eſt, ut ex ore ejus excidat aliquid illicitum. Vel uti ipſe etiam Iobus ait: *Utinam appendendo appenderetur ira mea, & infortunium meum elevarent pariter: nam arena maris gravior eſſet. Ideo verba mea abſorpta ſunt.* Cap. 6. 2. Atque hoc quidem to-

tius libri Iobi compendium est. Partem hujus fatemur nos ex doctissimo Directorii libro excerpsisse. Ex his videre est Mosem sapienter simul ac prudenter de providentia Dei locutum esse, nihilque esse, quod quenquam moveat nos jam ante dixisse, Iobum in istis quos citavimus locis, negasse resurrectionem mortuorum. Enimvero tum protulisse dicendus est ex vehementia quadam doloris ea quæ alioquin minime sentiebat. At tandem ubi ad se redierat, Deumque loquentem audiverat, pœnitentia ductus palmodiam cecinit, omniaque improbavit, quæ ante dixerat. Itaque etiamsi aperte neget providentiam Dei in rebus sublunaribus: non tamen idcirco est existimandum, id revera ita esse; ob argumenta ac rationes plures, quæ in hoc eo ipso libro referuntur. Similiter ergo ex eo, quod Iobus resurrectionem mortuorum negat, concludere neutiquam licet, Resurrectionem mortuorum non dari.

Part. 3. cap. 23.

R. Moses in epistola de resurrectione mortuorum dubium hoc alia uia expedit: dicit enim, cum Iobus inquit: *Defecit nubes, & abiit sicuti descendens ad infernum, non ascendit*: item alibi; *Et vir jacuit & non resurget, usque ad non cœlos, non exspergiscentur, & non suscitabuntur a somno suo*: hoc totum intelli-

Cap. 7. 9.
Cap 15. 12.

telligendum esse prout se res habent secundum naturæ ordinem: nam naturaliter mortui non resurgunt; proinde istis verbis non negari resurrectionem ; quia resurrectio pertinet ad futurum miraculum. Quin imo ex eo ipso, quod Iobus negat resurrectionem mortuorum, concludere possemus contrarium, dari resurrectionem. Nemo enim ex professo probare magna contentione conabitur, id quod lippis ac tonsoribus ipsisque a pueris erat notũ; & tale erat istud, quod mortui non resurgunt. Atqui contradixisse eum communi & pervulgatæ opinioni, apparet ex eo cum dicit: *Si mortuus revertitur in vitam omnibus diebus vitæ meæ, speralo mei renovationem*, scilicet, in ista resurrectione futuram. Sunt alii qui alia via se expedire conantur, sed ego operę pretium non puto eorum sententias referendo tempus terere : nam quæ diximus, abunde sufficiunt. Concludimus itaque librum hunc primum cum apprecatione. *Benedictum sit nomen Dei ex hoc tempore, usque in seculum, Amen.*

MENASSEH BEN ISRAEL

LIBER SECUNDUS,

De

Causis Miraculosæ Resurrectionis.

Amplißimo viro,

WILHELMO NOOMS, I.V.L.

ARLANDERVENIÆ Domino.

VARIAS fuiſſe olim, & adhuc eſſe, circa præmium &pœnam humanarũ actionum opiniones, quamvis nullus dubitet: nihilominus, quia eo magis animi multorum in diverſa hodieque fluctuent, decretum, Ampliſſime Arlanderveni, rem totam, prout ſeſe habet, paucis complecti. Neque id alia de cauſſa, quam ut imperiti, hæc conſiderantes, certiora ubi cognovere, deſinant cum vulgo præconceptam fovere ſententiam, ſed potius illuſtrium animarum veſtigia diſcant premere: quo tandem mobilis illa multitudo pro aperto habeat, antecedentem ſi ſequi gregem velit, ſepiſſime ſe à vera rectaque via aberraturam. Et quid aliud in perniciem multos trahit, quam

quod plerumque maiorem humani generis partem, etiam meliorem esse iudicent: ignari paucos inter mortales sapere. Interim diffiteri nequeo, ex præstantissimis etiam, alios quidem longè à via recessisse, dum lumine solum naturæ adiuti, id credidere, quod facillime suo poterant percipere ingenio: alios verò altiori mente evectos minus à vero deflexisse, inque ipsis tenebris quasi diluculum animadvertisse. Quorum omnium dissentientes opiniones, proponere hic animus est, quo veris cum falsis collatis, facilius, quid statueudum sit, cognoscere valeamus. Primum agmen ducat Epicuri sententia, cui persuasum fuit, animas esse mortales, nec à mutis animantibus alio differre, quam ingenio inquirendis variis artibus idoneo: denique eas casibus obnoxias instar pecorum, dum Deum non nisi speciei conservandæ curam gerere crederet. Hinc factum, totam adeo providentiam ut tolleret divinam, quatenus humani generis acta spectaret, quia nullum ab his sperare posset commodum, & proin neque malis pœnam metuendam, neque præmium bonis post hanc vitam exspectandum, seu corporale illud, seu spirituale foret. At ista iamdudum à variis

variis Philoſophis exploſa eſt ſententia, à quibus clare eſt demonſtrata rationalis irrationaliſque animæ differentia: quippe hanc inſtinctu naturæ non niſi particularia percipere, illam longe volare altius, reſque generales, tam inviſibles quam corporeas, mente apprehendere. Ex eo etiam, quod circa divina ſæpiſſime verſetur, divinæ aliquid, & nunquam interituræ in ſeſe habere ſubſtantiæ cognoſcitur. Quod ſi animæ, ubi è corpore exceſſerint, permanent, quin prout ſe geſſerint, ita etiam conditionem ſortiantur, minime dubitandum. Sed huic opinioni adverſantur alii, qui ſublata animæ immortalitate, præmium pœnamve corporalem tantum eſſe, nec ultra vitam extendi humanam contendunt. Quippe ajunt, animam humanam tantummodo eſſe diſpoſitionem, & in eo ſolum ab irrationabili differre, quod intellectu prædita ſit, quo divinæ virtuti uniatur, ejuſdemque regatur providentia. Hujus opinionis fuere Zaducæi, qui ſublato ex hoc mundo corpore, ſimul in exitum trahi animam volebant. Nam Moſaicam cum agnoſcerent legem, præmium & pœnam dum in hoc viverent mundo fore, concedebant: ſed nihil poſt hanc vitam aut ſperandum, aut

metuendum. Cæterum adversum hos clare à nobis primo operis huius parte disputatum, ita ut operæ pretium non putem eadem referre. Est & alia opinio, Zaducæorũ opinioni plane adversa. Etenim illam qui sequuntur, aperte ferunt, nullis in hoc mundo ab omnipotenti Deo vel præmium decerni, vel pœnam infligi: sed hæc cuncta ad animæ statum post hanc vitam pertinere, adeoque id multis posse experimentis comprobari. Imprimis quod bonos & pios homines, dum vita fruantur, sæpissime gravissima quæque pati videamus, & è contrario malos florere: unde sequi putant, bonorum post hanc vitam meliorem statum, malorum vero deteriorem fore. Habent & aliud cui innitebantur argumentum: quippe asserebant, felicitatem humanam consistere in intellectu à materia separato: nam animam humanam corpori adhuc coniunctam, semper sollicitam & nunquam liberam à variis huius mundi sollicitudinibus esse, contra quam in mutis animantibus accidere videremus. Hinc adeo concludebant, quum in hoc mundo nequaquam illa quietem suam adipisceretur, minoreque frueretur felicitate, quam illà quæ ratione carentium est: fore ut post

hanc

hanc vitam multo in maiore felicitate ageret. Quæ quamvis opinio veritati prorſus congrua videatur, nihilominus non ſatis quod res eſt exponit. Atque id nos hic demonſtraremus, niſi prius illud, quo ſubnixi, fuſe ſatis in Conciliatore noſtro, ubi agimus de providentia, refutaſſemus: alterum vero, vel uno facile ſubvertas argumento. Quippe cum homo è corpore & anima ſit compoſitus, eaque ita coniuncta ſint, ut extra hunc nexum, homo nec eſſe, nec dici, vel cogitari poſſit: abſurdum ſit credere, ſolius animæ felicitatem poſt hanc vitam fore, non hominis totius, qui & ſua hac in vita felicitate atque infelicitate fruitur, & poſt corporis reſurrectionem maioris felicitatis vel infelicitatis particeps eſt futurus. Quippe Hebræorum ea eſt ſententia, dum vita hic fruimur, præmium & pœnam proprie ſoli corpori conpetere; à tempore autem ſeparatæ à corpore animæ, uſque in diem reſurrectionis, ſolam animam præmio pœnave obnoxiam. Rurſum ubi in die judicii extremi, anima ſuum ſecundo corpuſculum induiſſet, tum tam corpus quam animam ſimul ſenſuram vel iram vel gratiam divinam. Verum enimvero eum hæc plenius hocce

in libello tractentur, finem facio, & ad te, Amplissime Vir, sermonem meum converto: cui potissimum, alterum hunc librum, de præclaro adeo argumento, dicandum putavi; gnarus satis candorem tuum, quo vales, non impetu sed consilio mea examinaturum, ubi à gravioribus negotiis tantum tibi otii fuerit. Impulere & alia, imprimis vero egregia virtus tua, varia doctrina, & erga literas & literatos animus semper benevolus: quæ virtutes quanto rarius in ejus dignitatis homines cadunt, eo magis admirandæ sunt. Et vere eminet, qui non in alios modo imperium habet, sed sedulo studuit animi dotibus excellere, & quod expetebat, jam implevit. Hoc in quam multis habeat locum, incertum mihi: tibi hanc laudem competere, testantur imprimis, qui familiarius noverunt. Tot igitur cum in te concurrant virtutes, & egregiæ animi dotes, quis mirabitur libellum de anima tibi à me inscriptum, ut siquid splendoris in ipso desideraretur, à tuo id nomine mutuaretur sibi? Nempe ut Luna non nisi Solis radiis illustrata fulget: ita hunc meum fœtum non parum claritudinis accepturum credidi, ubi tuo sub nomine in lucem emissus foret. Is

pri-

primum lapidem ponentis animus fuit, & mansit, donec absoluto opere, quod voluit, implevisset.

Vale Nob. & Amplissime Vir, &, si non plane indignus videar affectu eo, etiam ama

Virtutum tuarum æstimatorem,
& cultorem devotum,

MENASSEH BEN-ISRAEL.

Amstelodami XXIV. Febr.
An. CIↃ IↃ CXXXVI.

SERIES CAPITVM, LIBRI SECVNDI.

Menasseh ben Israel,

LIBER II.

De

Causis miraculosæ resurrectionis.

Cap. I.

De causa efficiente miraculosæ resurrectionis.

CVM superiori libro abunde comprobatum & confirmatum a nobis sit dogma de resurrectione mortuorum: constituimus hoc libro de quibusdam agere, quæ ad resurrectionem mortuorum pertinent. Quia vero, quatuor universalium causarum quas Philosophi ponunt, prima est causa efficiens, ordine cuncta prosequentes, prima nobis quæstio erit, quæ sit causa efficiens resurrectionis miraculosæ? R. Abraham Barby Hya in libro suo Megilat a-Megila refert, antiquos Philosophos gentiles, (qui lumine legis carebant, & astra ac sidera, pro vitæ duci-

ducibus, ac moderatoribus habebant,) in ea opinione fuisse, ut putarint, causam efficientem resurrectionis esse, sidera & stellas; eorumque concursu & zyzygia seu conjunctione induci corruptionem naturalis generationis, & tandem singula ad priorem statum suum reverti. Verum super eo non omnes Philosophos Orientis convenisse ait: nam quidam volebant, mundum duraturum esse quater millies millenos trecentos & viginti mille annos; hoc annorum spatio existimabant omnia in actum eductum iri, quæ essent in potentia primæ creationis; ita ut in fine annorum istorum omnia ad primum punctum creationis redirent. Alii existimabant, mundum duraturum esse triginta sex mille annos, donec singula sidera ambitum cœli circumiissent, & primum motionis punctum iterum attigissent. Alii numerabant trecentos & sexaginta mille annos, secundum partes, in quas cœlum dividitur: unicuique parti tribuentes mille annos. Alii faciebant durationem mundi quadragies novies millium annorum secundum planetas, quorum singuli mille annos in suo orbe inferiora hæc regant ac gubernent. Denique erant, qui statuerent septenis millibus annorũ mundum duraturum esse, singulis planetis

attribuentes mille annos ; ita ut tandem, Saturno dominante, omnia, quæ creata sunt, corrumperentur ac destruerentur : dominante vero Iove, post octo annorum millia omnia redintegrarentur, & ad pristinam faciem singula redirent. Horum omnium opiniones refutat R. Abraham : nam, inquit, dato antiquos per manus a majoribus de resurrectione certi quid accepisse : nihilominus tamen causa naturalis, quam in siderum aspectu fundatum eunt, nullius momenti & ponderis est : nam tota cognitio siderum falsa, vel incerta admodum est. Idem quoque de planetis dicendum est.

Cæterum miraculi hujus, de quo agimus, non alia causa efficiens erit, quam supremum numen : uti diserte illud innuit Moses in Deut. 32. 39. *Videte nunc, quod ego, ego sum, & non sunt dii mecum.* Quasi diceret, videte nunc, quod ego, ego sum ille, qui illa facio sine alterius alicujus Numinis, aut causæ naturalis adminiculo, *ego mori facio, & ad vitam revoco*; scilicet in resurrectione mortuorum : verba enim hæc ultima ad resurrectionem pertinent, uti superiore libro diximus. Hanna in eandem quoque sententiam dicit; *Dominus mortificat, & vivificat, descendere facit ad inferos, & ascendere facit.* 1. Sam. 2. 6.

Ieze-

37.13. Iezechiel, *Et scietis quod ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos e tumulis vestris populus mi.* Idem quoque sensere viri synagogæ magnæ, uti liquet ex precatiunculis: quas a se compositas, nobis scripto reliquere: quasque recitamus singulis matutinis horis, ubi ex lecto surgimus. In quadam earum legitur:

אלהי נשמה שנתת בי טהורה היא אתה בראת אתה יצרת אתה נפחת בו
אתה משמרה בקרבי ואתה עתיד ליטלה ממני ולהחזירה בי לעתיד לבוא

(Mi Deus animam quam mihi dedisti, puram illã, eam tu creasti, formasti, mihi inspirasti, intra me conservas, eamq; tu paratus es a me recipere, & reddere mihi in futuro seculo.) Breviter hæc quidem, sed quæ doctrinæ plurimum de anima contineant: nam primo anima dicitur esse *pura*, id est substantia ab immuditie aliena; *tu eam creasti*, scilicet in principio mundi cum reliquis creaturis. *Tu eam formasti*, nempe ob subtilius corpusculum, quod eam investit inseparabiliter, atque idcirco a Platone dicitur cœleste vehiculum. *Tu eam mihi inspirasti*, quatenus in utero matris animam cuilibet rationali creaturæ inspirare soles. *Tu eam servas in me*, nempe auxilio tuo divino, quo egent animæ ad salutem suam. *Tu paratus es eam a me recipere*, scili-

ſcilicet, in ultima vitæ cataſtrophe. *Et reddere mihi in futuro ſeculo*, id eſt, in hora reſurrectionis mortuorum, quia animæ ſunt immortales. Idem in alia precatiuncula legimus, אתה גבור לעולם יי מחיה מתים אתה (Tu potens in æternum Deus, tu reſuſcitans mortuos) cujus ſententia eſt. Miraculum illud reſurrectionis tu Deus facies: nam ſolus omnipotens es. In tractatu Tahanit cap. 1. Bereſit Raba. Paraſ. 73 aliiſque pluribus in locis, dixere antiqui. שלשה מפתחות ביד הקדוש ברוך הוא שלא נמסרו ביד שליח ואלו הן של חיה ושל גשמים ושל תחית המתים (Tres claves ſunt in manu Dei benedicti, quæ non committuntur ulli legato, partus, pluviæ, & reſurrectio mortuorum.) Id eſt, ſterilem efficere fœcundam, continuo pluere, reſuſcitare mortuos. Nimirum actiones hæ excedunt limites naturæ, & ſoli Deo propriæ ſunt, ab eoque effici queant. Et quamvis legamus Eliam, & Eliſæum reſuſcitaſſe mortuos: idcirco tamen (uti ait autor de Hen-Iaacob in nomine Toſaphot) non eſt exiſtimandum, eos fuiſſe autores tanti miraculi: nam ſi animum recte advertamus, de Elia dicitur, tunc clamavit ad Deum, & dixit, Domine *Deus mi, etiam ne viduam, apud quam habito, afflixiſti, interficiendo filium ejus?*

ejus? Et admensus est sese super puerum tribus vicibus, clamavitque ad Dominum, & dixit, Domine Deus mi, revertatur anima pueri hujus in interiora ejus. Hic etiam de Elisæo dicitur: *Quumque ingressus esset, clausit ostium super utrumque, oravitque ad Deum.* Oraverunt ergo Deum, ab eoque petierunt, ut ipse illud miraculum faceret. Nam etiamsi alia miracula, absque præviis precibus edere facile possint: nihilominus tamen ad resuscitandum mortuos, sese impotentes esse videbant: ideo precibus confugiebant ad Deum qui solus tanti miraculi est autor & causa efficiens. Et ratio in promptu est. Nam quamvis Iosua Solem fecerit consistere, & prophetis dominium concessum fuerit in res materiales: nihilominus tamen in spirituales nihil juris, aut potentiæ habuerunt: nam hæc longe supra vires eorum erant, & potentiam etiam humanam omnem excedunt. Hinc Iezechiel 37.9. ex mandato Dei ait, *Sic dicit Dominus Deus, a quatuor partibus veni spiritus & spira in interfectos istos, & vivent.* Ipse, inquit Prophetia: nam Deus eis inspiravit animam, & fecit sicuti promiserat; *& dabo spiritum meum in vobis, & vivetis.*

2. Reg. 4. 33.

Quanquam a nobis demonstratum sit, mortuos non nisi divina & supernaturali virtute

tute in vitam revocari posse: nihilominus tamen reperiuntur viri longe doctissimi, qui resurrectionem mortuorum a natura, vel casu contingere posse existimant. Nam primo sic disputant; Si naturaliter animal, quod nunquam fuit, producitur; ergo etiam multo magis illud, quod aliquando fuit, naturaliter reproduci potest: sed verum prius, ergo & posterius. Ratio consequentiæ manifesta est. Quia difficilius est aliquid ex nihilo producere, quam aliquid ex aliquo reproducere: sed quando animal, quod nunquam fuit, naturaliter producitur, illud ex nihilo producitur: quando autem animal, quod aliquando fuit, reproducitur, illud ex aliquo producitur. Ergo si natura potest id, quod difficilius est, poterit etiam efficere id quod facilius est.

Deinde id ipsum exemplis comprobare conantur. Nam apud Plinium lib. 30. cap. 2. legere est, ajunt, quomodo Appio Grammaticus herba cynocephaliæ sive osyritis appellata, Homerum in vitam revocaverit. Item Atilium Aviolam rogo impositum revixisse narrat Val. Max. lib. 1. cap. 8. Qui etiam de Ælio Tuberone idem refert, & de aliis nonnullis. De Soleo, Plutarchus de ser. numin. vind. meminit, qui de sublimi loco in

cervi-

cervicem delapſus ita, abſque vulnere accepto, mortuus eſt, tertiaque poſt die, ſub ipſam funerationem, revixit. Longe mirabilius eſt, quod de Ere Pamphilio narrat Val. Max. quod ſcilicet revixerit poſt decimam diem, qua mortuus fuerit. Et id genus alia multa ab illis adferuntur ad ſententiam ſuam confirmandam: quæ brevitatis cauſa omitto.

Quæ etiamſi ita dicantur, nihilominus tamen vera non ſunt. Nam primo, quod attinet ad antecedens prioris ſyllogiſmi, illud non caret homonymia, ſive æquivocatione; quia *nunquam eſſe* ſumitur vel privative, vel negative. Privative acceptum, non poteſt animal dici nunquam fuiſſe, quando in lucem editur, quia jam ante fuit in potentia, & proxima diſpoſitione materiæ, ad eam formam recipiendam. Negative acceptum, falſum eſt, quia tum *nunquam eſſe*, tantundem foret, atque non eſſe; non eſſe autem, & nihil eſſe, non differunt. Ac proinde dicendo, *ſi naturaliter animal, quod nunquam fuit, producitur*, idem eſſet, ac ſi diceretur, omne animal, quando generatur, ſive in lucem naturaliter editur, ex nihilo producitur. Quod manifeſte falſum eſt, & cui omnis philoſophia repugnet. Quod vero attinet ad majorem

rem ſequentis ſyllogiſmi, dico illud verum quidem, ſi intelligamus id de viribus naturæ; contra autem falſum eſſe, ſi de virtute Dei accipiamus, quoniam illa infinita eſt, ac proinde æquè expedite ac facile in nihilum, atque in aliquid agere poteſt. Natura vero finita eſt, ideoque ex nihilo quicquam efficere non poteſt. Quare etiam ratio illa facilitatis, & difficultatis, quæ deſumitur ex diverſitate operis, hic nullum locum habet.

Cæterum, quod ad exempla eorum attinet, quos revixiſſe ferunt, ſi poſt juſtum ac congruum tempus id factum dicent: (nam de Ere Pamphilio poſt decem dies reviviſcente nugæ meræ, & inepta fabula eſt) illos, dico, non fuiſſe vere mortuos: ſed potius apoplexia, vel conſimili morbo detentos, ex quo e vivis ceſſiſſe videbantur, cum tamen adhuc viverent: nam morbo diſcuſſo manifeſte eos vivere apparuit. Quanquam ſic plebeculæ, & vulgo, hominibuſque imperitis tales revixiſſe, & a mortuis ſuſcitati exiſtimarentur: nihilominus tamen paulo prudentioribus, & ſapientioribus, haud ita viſum fuit.

Cap. II.

An resurrectio mortuorum per orbem terrarum sit futura universalis, an particularis.

EVidentissime liquet ex propheta Ezechiele, resurrectionem mortuorum fore universalem, sive in omnibus mundi partibus, juxta verba Domini; *Propterea vaticinare, & dic ad eos, sic dixit Dominus Deus, ecce ego aperio tumulos vestros, & educam vos e tumulis vestris, populus mi, & adducam in terrã Israel. Et scietis quod ego Dominus, quum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos e tumulis vestris, populus mi. Ponamque spiritum meum in vobis & vivetis, & requiescere faciam vos super terram vestram.* Videmus hinc, Deum promittere populo Israelitico, quocunque in loco fuerint sepulti, se eos velle ad similem priori vitam revocare, & deinde eos in propriam terram, nempe sanctam, inducere, ut ibi salute Domini fruantur. Accedat huic finis universalis resurrectionis (de qua in sequentibus fusius agemus) qui erit ut Deus cognoscatur in ore omnium gentium (juxta Zophoniam) & *ab omnibus invocetur nomen Domini.* Quod ex aliis pluribus locis etiam liquet

37.12 (margin, beside "tibus, juxta verba Domini")

Cap. 3 9 (margin, beside "Zophoniam")

liquet, juxta illud, *Deus auferet cor lapideum*; item *pax erit generalis*, & id genus alia. Horũ omnium certe causa erit universalis resurrectio: nam tum unusquisque cognoscet parente, & majores suos, & sapientissimi viri, quos quælibet terra tulit, resuscitati enarrabunt vivis, Domini, & legis divinę veritatem, adeoque omne id quod in mundo animarum eis contigit, tum in quo errarunt, tum de quo acriter contendere solent, & similia. Tanto igitur miraculo conspecto homines, formidine seductionis aut metu erroris, veritati adhærebunt. Tum cessabit omnis idololatria, quippe omnes uno eodemque cultu Deo servient.

Sed nequis decipiatur aut fallatur opinione Simmay, quæ in Talmude Babylonico, * & Ierusalmi †, & Beresit Raba ‡ est, qua statuit & imaginatur sibi, ossa defunctorum per abdita viscera terræ devoluta iri usque in terram sanctam, atque ibi resurrectura esse: observandum est, verba istius R. non simpliciter, sed allegorice accipienda esse: quemadmodum erudite a R. Iaacob ben Habib in commẽtariis ad Hen Iaacob, & clarissimo viro Isshac Abravanel observatum est. Atque hoc sensu ea omninointelligenda sunt, aut si aliter intelligantur, non nisi pro particulari

* *Chetubot cap. 13.*

† *Chilai, cap 9.*

‡ *Paras.*

culari

culari opinione habenda est ista sententia, quin & reiicienda; quia pugnat cum eo, quod demonstravit Propheta Ezechiel. Resurrectio enim illa mortuorum contigit extra terram sanctam: ergo credi omnino debet rem se extra eam habituram eodẽ modo cum universali resurrectione mortuorum. Praeterea nihil eorum, quae futura tum temporis paulo ante diximus, fieri posset, in partibus omnibus mundi, si non in omnibus mundi partibus & plagis futura sit universalis resurrectio. Praeterquam quod cum resuscitandorum infinitus numerus sit futurus, & non detur penetratio corporum; impossibile prorsus sit, ut omnes in terra sancta resuscitentur. Itaque resurrectio futura est universalis & generalis, uti demonstravimus.

Sed vero etiam meo qualicunque judicio, non videtur ex ista opinione consequi, mortuos in terra sancta solum resuscitatum iri: Res enim ita se habet. Cum dixisset R. Haninah in Talmude Hierosolymitano, cadavera terrae sanctae primum resurrectura: super eo dissenserant quidam, dicendo quod hoc pacto multum honoris, gloriae ac dignitatis discederet de illis sapientibus, qui extra terram sanctam obierant. Ideo praedictus autor R. Simay hunc in modum solvit quaestionem

dicens

dicens, illos ſapientes, per interiores terræ cavernulas, deventuros in terram ſanctam, atque in ea cum reliquis primum eſſe reſurrecturos. Nota quod non dicat omnes, & quoſlibet homines, in terram ſanctam devolutũ iri, & ibi reſurrecturos, ſed tantum inſigniores, & ſapientiores viros: Saltem ergo inde non ſequitur, ibi ſolum fore reſurrectionem mortuorum, ut quidam ſibi perſuadent: ſed potius contrarium, quoniam dicit illic reſurrecturos mortuos primo. Ergo innuit poſtea in aliis orbis tractibus alios reſurrecturos. Fateor tamen mihi id non videri de ſapientibus veriſimile eſſe; futurum ſcilicet ut illi per interiora terræ devoluti, in terra ſancta reſurgant.

Cap. III.

An reſurrectio mortuorum in inſtanti, an vero ſucceſſive ſit futura.

NOn omnes defuncti ſimul uno & eodẽ momento temporis reſuſcitabuntur: uti ex antiquis ſapientibus colligere & terræ ſanctæ dabitur prærogativa, ac privilegio, quod primo cadavera ejus ſuſcitabuntur:

nam legitur in Beresit Raba, *Paras.* 27.
כתיב זעקתי אליך יי אמרתי אתה מחסי חלקי בארץ החיים והלא אין ארץ החיים אלא צור וחברותיה תמן שבעא תמן זולא ואת אומר חלקי בארץ החיים אלא ארץ שמתיה חיים תחלה (Scriptum est, *clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea in terra viventium.* At profecto non est terra viventium, nisi Tyrus, & similia loca: illic enim est rerum abundantia, illic annonæ copia: & tu David ais, *pars mea in terra viventium?* Vult igitur dicere, quod mortui illius primo resurgent.) Terra sancta non est appellanda terra viventium, quod ad corporalem vitam attinet. Nam, quo ad eam, Tyrus, & similia fertilia loca terra viventium dici merentur, quoniam ibi est ubertas ferum copia, & rerum omnium fælix proventus, facilisque comparatio. Quare singulari aliqua de causa sic docta videri debet: ea autem alia non est, quam quod ibi primo mortui resurgent. Huc etiam pertinet, quod alibi legitur: ולמה כל האבות תובעים ומחבבין קבורת ארץ ישרא אמר ר' אלעזר דברים בגו ר"ל אמר מהו דברים בגו אתהלך לפני יי בארצות החיים אמר רבותנו שני דברים בשם ר' חלבו למה האבות מחבבים קבורת ארץ ישראל שמתי ארץ ישראל חיים תחלה לימות המשיח ואוכלין שנות המשיח Quare Patriarchæ mandarunt, & gloriosum sibi duxerunt sepeliri in terra sancta? R. Elhazar ait, non frustra illud ab iis jussum est, sed ejus rei aliquæ rationes

Beresit Raba par. 96. & Semot Raba para. 52.

tiones ſubſunt. Tum R. Ieoſuach ben Levi quæſivit, quæ nam ſunt? Hæ ſcilicet; *ambulabo coram Domino in terra viventium*) Magiſtri noſtri, duo argumenta adferunt in nomine R. Helbo, quare Patriarchæ voluerint in terra ſancta ſepeliri, quoniã defuncti terræ ſanctæ primo reviviſcent tempore Meſſiæ, & annis Meſſiæ fruentur. Videmus omnes idem ſentire, quare Patriarchæ tantopere deſideraverint ſepeliri in terra ſancta. Verum R. Iaacob ben Habib aliam ejus rei rationem dat; quoniam, inquit, illic primo creatio facta eſt, & Deus terram iſtam ſingulari providentia ſua dignatus eſt: ideo conſentaneum mihi videtur, ut in ea tantum miraculum, quod eſt inſtar novæ creationis, primo fiat. Interea tamen obſervandum eſt, cum dicimus cadavera terræ ſanctæ primo revictura, eo nos non velle ſignificare futurum aliquod intervallum temporis inter reſurrectionẽ iſtorum & reliquorum: quippe tum non una; ſed multiplex foret reſurrectio: verum id tantum voluimus, eos momento quaſi temporis prę cęteris revicturos. Quæ tamen non exigua erit gloria: nam illi erunt tanquam inſtrumenta, per quæ primo devenietur in cognitionem veritati, uti alias a nobis dictum eſt.

Pſ. 116. 9.

Non alienum ab eo, quod agimus, esse videtur, si hic referam illud, quod de propheta Elia antiqui dixerunt. Hic enim, uti ajunt, primo resuscitabitur, sive corpus ejus igne ætheris fuerit consumptum, (quemadmodum R. David Kimchi, aliique plures censent) sive vivat in terrestri paradiso secundum corpus & animam, uti opinio priscorum sapientum fuit: hoc certum est, illum primo appariturũ, ut annuntiet resurrectionẽ mortuorum, sicuti

Cap. 4. 5. manifeste liquet ex Malachia; *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram excidio.* Dies ille magnus, & terribilis, est dies judicii, qui erit conjunctus resurrectioni: ante eum, inquit, veniet Elias, ut pacem & amorem inter omnes conciliet, non tantum in rebus corporalibus, sed etiam spiritualibus: idcirco dicitur, *convertet cor patrum ad filios, & filiorum ad patres.* Nã nulla dissensio, nulla lis aut controversia inter eos erit, uti antiqui ajunt, in Gemara Eduyot: quippe animos hominum adeo permovere, immutare, ac disponere valebit, ut in die judicii optime compositus sit futurus mundus, neque caussa cur destruatur aut in nihilum redigatur, ulla reliqua mansura.

mansura, Esaias quoque mentionem facit Eliæ, cum inquit. *Quam speciosi sunt super montes pedes annuntiantis, publicantis pacem? annuntiantis bonam, prædicantis salutem, dicentis ad Sion, Regnat Deus tuus.* Quadruplex officium Angelo sive legato huic hoc textu adsignatur. Primo *prædicabit pacem* universalem, quæ tunc futura est; & hoc ad corpus pertinet. Deinde, *annuntiabit bonum*, id est, legem generalem, quam omnes tunc amplectentur; atque hoc est bonum animarum, & quemadmodũ antiqui ajunt, proprie illud dicitur טוב bonum. Tertio, *annuntiabit salutem*, id est, resurrectionem, qua servabuntur, & in feliciori statu constituentur vivi & mortui. Quarto, dicet *ad Sion, Regnat Deus tuus.* Quasi diceret, hactenus Sion, Deus tuus, non fuit Deus universalis, sive ab omnibus cognitus, ob turpem & nefandam idololatriam, quæ orbem totũ pervagata est: at nunc omnium erit Deus, uti ait Zecharias. *Illo die Dominus erit unus, & nomen ejus unum.* Non aliter, ac si nunc non esset unus Deus, ob varios cultus, qui Deo exhibentur: at tunc erit unicus Deus, quia non plures (uti ait Zephonias) quam unicus cultus, & religio futura est. Propheta Nahum hujus nuntii etiam meminit: sed nihil ei aliud adsignat, quam hoc, Cap. 1. *Prædicabit pacem:*

quia videlicet pacis vocabulo omnes benedictiones cum corporales, tum ſpirituales continentur.

Hic Elias primo reſurget, uti diximus, vel primus conſpectui noſtro reddetur: verum non erit in mundo reſurrectionis, ſed paulo ante adventum Meſſiæ. Ita enim inquiunt antiqui in Midras Soher Iob.

אמרו ישראל בגאולה ראשונה כתיב שלח משה עבדו אהרן אשר בחר
בו שלח לי אף שנים כנגדם שלח אורך ואמתך המה ינחוני אמר הקדוש
ברוך הוא אני משלח שנאמר הנה אנכי שולח לכם את אליהו הנביא
הרי אחד והב' הן עבדי אתמוך בו בחירי רצתה נפשו :

(Dixit Iſrael, de prima redemptione, ſcri-
Pſ. 105. 26. ptum eſt, *Miſit Moſem ſervum ſuum, & Aaron, quem elegerat.* Mitte nunc ad me quo-
Pſa. 43. 3. que duos, ſimiles illis, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſæ deducent me*; dixit Deus benedictus, ego mittam: nam ſic ſcri-
Malach 4. 3. ptum eſt, *ego mittam ad vos Eliam Prophetam.* Hic habes unum, de altero & ſecundo vero
Eſa. 42. 1. loquens, ait, *Ecce ſervus meus, innitar ei, electus meus, in quo ſibi complacuit anima mea.*) Ex his locis comprobant antiqui, uti in populi redemptione ex Ægypto, duo legati fuerunt, ita in futura redemptione, ſive reſurrectione, duos futuros legatos, Eliam, & Meſſiam. Nam ſic inquit in Pirq; R. Eliezer.

ר' יהודה אומר אם אין ישראל עשים תשובה אין נגאלים ואינן עשים

תשובה אלא מתוך צער ומתוך טלטול ומתוך שאין להם ואין ישראל עושים תשובה גדולה עד שיבא אליהו הנביא זכור לטוב שנאמר הנה אנכי שולח לכם את אליה הנביא מה כתיב אחריו והשיב לב אבות על בנים ולב בנים על אבותם (R. Iehuda inquit, ſi Iſrael non agat pœnitentiam, non poterit redimi & liberari: neq; pœnitentiam aget, niſi calamitatibus & laboribus multis afficiatur, exilio mulctetur, & paupertate prematur: neque ſeria & vera factorum pœnitentia ducetur, antequam veniat Elias Propheta juxta illud. *Ecce ego mittam ad vos Prophetam Eliam.* Et paulo poſt, *& convertet cor patrum ad filios.* Deinde, *& cor filiorum ad patres.*) Hinc ex duabus illis ſententiis concludi poſſe ait doctiſſimus vir Ben Ezra, quod Elias venturus ſit, tanquam dux exercitus Domini, qualis Moſes erat, quando populus ex Ægypto reducebatur.

Ex illis igitur, quæ hactenus a nobis dicta ſunt, colligat quis miraculum reſurrectionis, non uno, ſed duobus diverſis temporibus futurum eſſe. Primum ſcilicet, quando ſolus Elias, antequam veniat Meſſias, reſurget. Secundo, quando cadavera, quæ in terra ſancta condita fuerunt, & mox poſt illa, quæ in aliis mundi tractibus ſepulta ſunt, reſuſcitabuntur, ac reſurgent, cui annexum erit tempus judicii. Cæterum meo qualicunque judicio, una tantum erit univerſalis reſurrectio

ctio mortuorum. Nam quod Eliam attinet, ejus reditus non potest proprie dici resurrectio, quia corpus ejus non fuit corruptum: sed integer (ex opinione omnium antiquorum) cum corpore & anima translatus fuit in terrestrem paradisum; atque inde, uti ex variis locis Talmudis constat, reversus apparebit sapientibus, eosque multa docebit, de quibus in eum usque diem multum dubitarunt. Neque vero caussa est, cur id creditu difficile videatur: nam in sacris videre est, post ab eo, postquam e terris discesserat temporibus Iorami filii Iosaphat, missam esse ex paradiso epistolam. Nam si eam ante transportationẽ conscripsisset, dixisset scriptura: *& inventa est epistola Eliæ Prophetæ*: at vero dicit, *& venit ab illo*: itaque postea ab eo conscripta & missa fuit. Ex quo colligere est, eum esse in loco corporeo, & res humanas, terrestresque illi curæ esse. Id ipsum confirmatur quoque ex eo, quod Dominus non dicat, ecce ego resuscitabo vobis Eliam Prophetam, sed ecce ego mittam ad vos. Vnde concludimus, Eliam, & præter eum, Hanochum non esse in ordine eorum, qui resuscitabuntur: nam dies judicii & resurrectionis unus idemque erit. Atque hæc hactenus.

Cap.

Cap. IV.

Qua ſtatura & forma prœditum ſit futurum corpus in reſurrectione mortuorum.

CAuſam efficientem ſequatur formalis cauſſæ conſideratio: nam intellecto, Deum eſſe immediatam cauſam efficientem reſurrectionis, & ubi, ac quomodo fiet, conſentaneum eſt, ut de forma ejus agamus. Prima, quæ hic ſeſe offert quæſtio eſt, qua ſtatura & conditione prædita cadavera reſurgent. Etenim quotidie corpus mutatur, & alteratur, aliudque ſenis, ac juvenis eſt temperamentum. Præterea videndum eſt, an etiam in illis, qui corporis quædam vitia, ac cicatrices habuere, cum morerentur, eadem ſint habituri, cum reſurgent. Veteres exiſtimant defunctos eadem ſtatura, atque ætate, cum iiſdem vitiis ac maculis corporis reſurrecturos, quibuſcum mortui ſunt: cæterum ex deteriore ſtatu in integrum reſtitutum iri. Hinc legitur in Bereſit Raba. בא וראה
כל מה שהכה הק״בה בעלם הזה מרפא אותם לעתיד לבא העורים Paraſ.
מתרפאים שנאמר אז תפקחנה עיני עורים והפסחים מתרפאין שנאמר 95.
אז ידלג כאיל פסח ותרון לשון אלם אלא כשם שאדם הולך הוא בא
הולך עור ובא עור חרש ובא חרש אלם ובא אלם (Veni & nota, omne quod percuſſit in hoc mundo Deus illi medebitur in futuro: cęcos ſanabit juxta illud, *Tunc*

Esai.35 *Tunc aperientur oculi cæcorum*. Claudi ſanabũ-
8 tur, juxta illud. *Tunc ſaliet ſicut cervus clau-*
ibid.35, *dus, & laudabit lingua muti.* Nam uti homo
6. abit, ſic redit; abit cæcus, redit cæcus: ſur-
dus abit, & redit ſurdus: mutus abit, & re-
dit mutus) In Gemara Sannedrin opinio
illa ex contradictione quorundam verſuum
probatur juxta illud. ר״ש לקיש רמי כתיב בם עור ופסח
וכתיב אז ידלג כאיל פסח ותרון לשון אלם הא כיצד עומדים במומם
ומתרפאים (Res Laquis argumentatur, ſcriptum
eſt, *in illis cæcus & claudus*, deinde, *tunc ſa-*
Iere.31. *liet, ut cervus claudus, & laudabit lingua muti.*
Eſai.35. Quomodo hæc conciliabuntur? Reſpondet,
cum iiſdem maculis, & deformitatibus re-
ſurecturi ſunt, at poſtea ſanabuntur.) In Ialkut
Rabati illud probat. ר׳ לוי ור׳ יעקב גבולאה בשם ר׳
חנינא כדור הולך כך דור בא הולך חגר בא חגר הולך סומא בא סומא
שלא יהו אומרים אחרים המית ואחרים החיה דכתיב אני אמית ואחיה
מי שאומר את החמורה הוא אומר את הקלה אני אמית ואחיה הרי
חמורה מחצתי ואני ארפא שהיא קלה ממנה אלא שאני מעמיד אותם
במומיהן (R. Levi, & Iaacob Gabuleo in no-
mine R. Hanina, ajunt, uti generatio vadit, ſic
venit, vadit clauda & venit clauda, vadit
cæca & venit cæca; nequis dicat, hunc qui-
dem occidi, ſed alium vitę reſtitui, juxta illud,
ego occido, & vitæ reſtituo. qui majus in prin-
cipio dicit, an dicet poſtea minus? *ego occido*
& vitæ reſtituo, majus quid eſt: *ego percutio,*
&

& medeor, levius ac multo facilius eſt. Sed ego illos reſuſcitabo cum iſtis ipſis vitiis, & iiſdem defectibus.) Ex duobus locis probant mortuos cum iiſdem vitiis reſurrecturos eſſe, & eadem ſtatura, quam habuere, cum e vita diſcederent: primus eſt, quia dicit ſapiens: *Generatio vadens, & generatio veniens.* *Eccles.*
Hinc concludunt, homines cum iiſdem vitiis *1. 4.*
reſurgere, quibuſcum mortui ſunt. Alter locus eſt in Deuteronomio. Etſi enim hic ordo poſtularet, ut diceretur, *ego percutio, & medeor*: quod non tanti momenti eſt, neque adeo admirandum: nihilominus tamen dicitur, *ego occido, & vitæ reſtituo*, quod longe majus miraculum eſt. Quare dicunt illud tantundem valere, ac ſi dictum eſſet, ego occido, & vitæ reſtituo, cum iiſdem vitiis, plagis; quibus poſtea medebor. Viri ſynagogæ magnæ; idem ſenſiſſe mihi videntur, uti ex precatione quadam apparet, ubi dicunt, מחיה מתים ברחמים רבים סומך נופלים ורופא חולים (Reſuſcitans mortuos magna cum clementia erigens lapſos, & ſanans imbecillos.) Id eſt, Deus reſuſcitabit defunctos ex ſepulchro, & infirmitatibus eorum medebitur.

Idem quoque confirmari poteſt ex ſuſcitatione Samuelis, ſive illa ficta fuerat fraude muliebri, ſeu vera permiſſu Dei, Nam cum

Saul

Saul ex Pythonissa quæsivisset, qua forma
1. Sam. 28. 14. vidisset virum? respondit illa, *vir senex ad-scendit, & ipse amictus pallio.* Hinc liquet, quemadmodum Samuel senio confectus eaque ætate, in qua mortuus erat, apparuit; cum resuscitaretur: sic etiam cum reliquis futurum, quando suscitabuntur. Similiter quoque ex Esaia illud comprobatur, cum a-
Esai 43. 6. gens de resurrectione mortuorum ait; *Dicam Aquiloni, & Austro, ne probibeas: adducite filios meos de longinquo, & filias meas ab extremo terræ. Omnem qui vocatur in nomine meo, & ad gloriam creavi eum, formavi eum, etiam feci eum. Ut educam populum cæcum, & oculi sunt ei, & surdos & aures sunt eis.* Alloquitur propheta diversas mundi plagas, eisque imperat, ut de se dent filios suos: quippe resurrectio mortuorum per totum orbem (uti diximus) universalis, ac generalis erit. Inquit, faciant quia quicunque vocatus est in nomine ejus, eum condidit, ad honorem & gloriam nominis sui. Et quia cum vitiis corporis resurgent: idcirco ait, educam populum cæcum, & surdum: nam ubi a malis curati fuerint, pollebunt visu & auditu.

Quare hoc pacto resuscitabuntur mortui. Ejus rei ratio datur in Tanhuma, & jam ante indicata est; ne dicant, scilicet, impii non idem

idem ipſe eſt qui mortuus eſt, ſed aliquis alius, de novo a Deo creatus. Vti etiam in Bereſit Raba, & in Zoar, Paraſa vayera Elau dicitur. Iſac Abravanel, in Nahalat Abot, exiſtimat ideo futurum illud, ut alter alterum cognoſcat; pater ſic filium, filius patrem honoret. Et cognoſcendo parentes & conſanguineos ſuos, non contrahat illicita, ac vetita matrimonia. Deinde, ut quiſque tribum ſuam cognoſcens illi ſe aggreget, atque ita conſequatur hæreditatem in terra ſancta, quę tunc pro ratione tribuum diſtribuetur (de quo in ſequentibus dicemus) quemadmodum obſervavit *R.* Ioſeph Tranenſis in libro ſuo Bet Eloym. Alia etiam dari poteſt ratio: nempe ideo Deum ſuſcitaturum eſſe defunctos cum iiſdem corporis vitiis, ut confidant ſeſe in eodem corpore fruituros eſſe Dei præmiis. Vel hoc dicatur; cum dies judicii annexus ſit reſurrectioni, ideo mortui cum iiſdem vitiis & plagis corporis reſurgent, ut ſi digni judicati vita æterna, cæcitate ac ſurditate liberati confeſtim ſummo animi cum gaudio afficiantur Dei beneficiis: vel ſi condemnati fuerint, præter illa vitia ac mala, etiam novis ad ea accedentibus torqueantur, ac crucientur.

Cap. V.

Quod illi, qui cum monstroso corpore in lucem veniunt, non sint cum monstrositate illa resurrecturi: sed ea abolita perfecti, atque integri e sepulchris prodituri.

PRoditum est a Nicolao Lyra, in 1. c. Genes. p. p. glosc. & Gulielmo Chronologo temporibus Philippi regis Franciæ, nempe anno CIↃ. CCC. XXII. in Normanniæ atque Britanniæ tractibus duos muliebris sexus infantes natos esse corporibus sibi invicē annexos & copulatos: sed ita ut supra umbilicum & nates duo corpora exstarent, inferiora vero non nisi unicum corpus facerent. Quod autem duo singulares infantes essent, ex effectibus liquebat: nam dormiente una puella sæpe altera vigilabat, flente una, altera ridebat; deinde una, anno integro ante alteram obiit, ita ut cadaver viventi circumgestandum; cum autem fœtorem putrescentis cadaveris ferre diutius non possit, tandem misella etiam extremum vitæ diem clausit. Deinde idem constabat ex eo, quod singuli non modo diversum caput habuerint, in cujus cerebro, juxta Platonem radicata est anima rationalis: sed etiam cor, in quo ex opini-

pinione Aristotelis, anima rationalis sedem suam habet. Itaque si in illis duplici sede animæ rationalis, duplex anima in illis fuit, duo etiam fuerint singularia individua, necesse est. Id generis quoque multa alia natura produxit. De illis nunc quæritur, an corpora hujusmodi monstris & vitiis deformata resurgent: an vero depositis illis perfecta & integra? Non dubium est, quin hic conjectura opus sit, quoniam nunquam ab antiquis hæc quæstio mota est, ac proinde nihil inde peti potest, quod ad hanc rem pertineat: neque ullus in Sacra Scriptura locus exstat, ex quo aliquid certi in alterutram partem hac de re pronuntiari possit. Quanquam superiori capite dictum a nobis est, quod una cum deformitatis suis corpora vitæ restituentur: nihilominus tamen non ita cum monstris mihi comparatum esse videtur, ob horrorem, & tremorem nimium, quem incutiunt animis hominum. Ac proinde cum non conveniat tranquillissimo ejus temporis statui, ut animi eorum, cum resuscitantur, turbentur, & exterreantur, ideo verisimile est, quod libera ab omnis monstrositate resurgent.

D. Bonaventura huic quæstioni satisfacere cupiens, ait, si in mõstrosis ac prodigiosis corporibus

in 4 dis. 44 in quæst. circa literam.

poribus duplicata fuerint principaliora mẽbra, quæ ſunt animæ rationalis ſedes, tum duo corpora ſiſtentur in reſurrectione mortuorũ. Si alia vero mẽbra præter ordinarium naturæ curſum, annata & annexa fuerint huic, vel illi corporis parti, tum unicum tantum corpus reſurget. Quare juxta hujus viri opinionem, duæ puellæ (de quibus initio quæſtionis diximus) ſive in bonum, ſive incommodum ſuum, ſeorſim reſurgent, quia principalia in illis membra duplicata fuerũt. Quod ad Hermophroditos attinet: hi quoniam naturaliter (ſicuti medici teſtantur) æquali ratione ac modo utrumque ſexum maris & feminæ participare nequeunt, ideo ea forma reſurgent, cujus ſexus vis atque virtus major & efficacior fuerit. Atque hæc quidem conjectura noſtra hac de re eſt.

Cap. VI.

An mortui amiculo ferali induti ſint reſurrecturi.

CLeopatra quæſivit illud ex R. Meyr, uti videmus in tractatu Sannedrim, hujuſmodi fere verbis. ידענא דחיי שכבי דכתיב ויציצו מעיר כעשב הארץ אלא כשהן עומדים ערומים או בלבושהן הן עומדים אמר לה קל וחומר מחטה ומה חטה שנקברה ערומה יוצאה בכמה לבושים צדיקים שנקברו בלבושיהן על אחת כמה וכמה (Scio equidem

dem mortuos revicturos eſſe, quia ſcriptum eſt, & effloreſcent e terra, tanquam herba campi: ſed ſcire aveo, an tempore reſurrectionis defuncti nudi, an vero veſtiti ſint reſurrecturi? Reſpondit illi, id quod quæris optime ex natura tritici intelligitur: etenim ſi illud nudum terræ mandatum, bene tunicatum ex terra prodit, quanto magis juſti, qui cum veſtibus ſunt ſepulti, e terra prodibunt.) Quaſi diceret, ſi triticum terra ſepultum aut opertum, ac non niſi ſeminatum in terra, ut corrumpatur non opus habet ut tot legumentis indutum ex terra prodeat, & nihilominus tamen ad majorem ſui conſervatione͂, cu͂ ariſta & ſpica prodit; quanto magis conveniens eſt, ut pii ac probi honeſtatis ergo induti ac veſtiti reſurgant. Quemadmodu͂ illud tradit R. Iæonatan in Kœlet Rabati. *Pſal. 72.*

Quod autem antiqui voluerunt indicare, id non aliud eſt, quam mortuos cum iiſdem veſtibus reſurrecturos eſſe, quibuſcum ſunt ſepulti. Hinc in Talmude Hieroſolymitano dicitur, תני בשם ר׳ נתן כסות היורדת עם אדם לשאול היא באה עמו מאי טעמא תתהפך כחומר חותם ויתיצבו כמו לבוש. (Legitur ſub nomine R. Natan, cum eodem illo veſtimento, quicum homo ſepultus eſt, reſurget, juxta illud, *mutatur ſicut lutum ſigilli, & ſtat ſicuti veſtimentum.*) Verborum *Chi'ai 1 cap. 9. Iob 3 . 14.*

L 3 mens

mens eſt, quamvis lutum ſepulchri corruperit ſigillum corporis humani: nihilominus tamen indutum eadem veſte ferali reſurget. Id ipſum quoque confirmari poteſt ex eo, quod nonnulli ex antiquis de ratione ſeſe ſepeliendi, ſub finem vitæ, multa præcepere. Ideo in Bereſit Raba legitur, quod R. Iohanan inter alia dixerit. קברו אותי בכלים צבועים ברוקא לא לבנים ולא שחורים שאם עמדתי בין הצדיקים לא נבוש ועם עמדתי בין הרשעים לא נכלם (Sepelite me veſtibus tinctis colore Derocæ, id eſt candidis, neque nigris: ne quãdo reſurgã inter juſtos ac probos, pudeat mei ob nigras meas veſtes: vel ſi inter malos ac impios reſurgam, ne me pudeat mei ob veſtes candidas.) Idem colligitur ex Talmude Hieroſolymitano. Tria ſunt hic obſervanda, primo, quod non tantum probi ac pii, ſed etiam impii ſuſcitabuntur: idcirco dicit, ſi reſurgam inter malos ac improbos. Deinde, quod antiqua conſuetudo fuerit ſepeliendi mortuos albis veſtibus indutos, qui nomen honeſti, ac probi viri meriti erant; eos vero qui nomine iſto viri probi indigni erant, veſtibus nigris. Quod cum R. Iohanan declinare cuperet, noluit ejus coloris amiculo involvi cadaver ſuum. Denique, quod cum iiſdem veſtibus, quibus involuta fuere cadavera, reſurgent. Atque hoc eſt, quod probare intendimus.

dimus. Præterea R. Irmihah inquit. אלבשוני מאנין
חורין חפיתין ואלבשוני דרדסאי והבין חוטרי בידי וסנדלאי ברגלאי והבו *Beresit*
יתי על אורהא דאים איתבעית אנא קאים (Vestite me amictu *Raba.*
puro ac candido, & induite me caligis, & da- *Paras.*
te mihi in manibus baculum, & calceis inclu- 100.
dite pedes meos, ut quando Deus me vocat, promptus ac paratus sim.) Quod nihil aliud indicare voluit, quam fidem suam de resurrectione mortuorũ, & quod cum iisdẽ vestibus resurrecturus esset. Idem quoque ex Samuele probatur. כשם שהוא הולך לבוש כך הוא בא לבוש ממי אתה למי משמואל שראה אותו שאול מה הוא אומר לאשה מה תוארו ותאמר איש זקן והוא עוטה מעיל שכך היה לבוש שנאמר ומעיל קטן תעשה לו אמו (Iisdem vestibus indutus homo redit, quas habuit, cũ abiret. Vnde hoc colligis? ex eo, quod mulier quærenti Sauli
de forma Samuelis, *quæ est ejus forma? dixerit,* 1. Sam.
video virum senex, & tectum pallio: Nam ita 28.14.
vestiebatur, juxta illud, *& parvulum pallium fecit mater illi.*) Cæterum cum hic locus me invitet, ut aliquanto prolixius agam de suscitatione Samuelis, opiniones aliquot doctorũ super ea re recensebo. Ac primo quidẽ sciendum est, multos fuisse ex antiquis, qui existimarint fieri non posse, ut animæ justorum, ac præsertim tanti viri post mortem inquietentur; ac proinde totum illud a fraude muliebri esse profectum. Hoc sensit R. Samuel Hopni: nã inquit, cum pythonissa mox nosset Saulem

& sciret, â Samuele prædictum esse, quod regnum ejus daretur meliori quam ipse erat, neque illum lateret Davidem esse inunctum, finxit sese Saulem non nosse, ut arti suæ Magicæ fidem faceret: nam facile apud se colligere poterat, Saulem in prœlio occubiturum esse. Cæterum ne fraus subolesceret, virum aliquem subornaverat, qui ei ex loco secretiore, ejusmodi responsum daret. Sed illa opinio futilis est; quoniam Saul, neque servi eius, tam facile sibi illudi & fucum fieri passi fuissent. Præterea cum vis ac virtus Ionathæ manifesta satis esset, quomodo mulier certo prædicere potuisset tu & filii tui cadetis, & non potius cogitasset, quod Ionathas sua virtute ex prœlio sese servaturus esset? Quid quod textui sacro illud directe repugnat, quia dicitur in eo Samuel ipse per Pythonissam suscitatus ac locutus esse.

R, Sehadyach Ogaon, & R. Hay dicunt impossibile fuisse ut Pythonissa ista Samuelem excitaret, animamque ejus inquietaret, nisi Deus ipsum prius suscitasset, eo fine ut Saul, quæ ventura ei essent prædiceret. Sed hoc non videtur verisimile esse, si rem recte consideres: etenim si Deo placuisset Sauli indicare, quæ eventura ei essent, quare id non fecisset quando ab eo consulebatur per

Vrim

Vrim & Thumim; aut in somnis, vel per prophetam? sed quia Saul quærebat pythonissam, eamque invenerat, ex eo non obscure colligitur eam magica scientia ac solertia instructam, futura illi exposuisse.

R. Levi ben Gerson opinio est, quod Saul sæpiuscule cogitans ea quæ Samuel ei prædixerat fore, ut regnum ejus extingueretur; tantum cogitationibus, ac phantasiæ indulserit, ut putarit se videre aliquem, qui sibi extrema annuntiaret; ita ut universa historia tantum imaginaria sit dicenda. Sed nec hoc facile quis crediderit, quoniam vis illa phantasiæ, non nisi in infirmioribus, ac delirio laborantibus locum habet: neutiquam vero in iis, qui sunt sani, ac mentis suæ compotes, uti Saul; præterquam quod id cum litera textus non conveniat.

Augustinus existimat Samuelem a Pythonissa non esse suscitatum: sed dæmonem, seu spiritum aliquem, sub persona ejus apparuisse. At illud quoque non convenit cum literali textu: nam a muliere diserte quæritur, *Quem vis, ut tibi suscitem?* & Saul respondit, *Samuelem.* Si spiritus malus sub persona Samuelis fuisset, quomodo dixisset, *Cras tu, & filii tui mecum*, quasi vero Saul. & filii ejus in dæmoniorum numerum fuissent

ſent recipiendi? certe illud nullo fundamento nititur.

Iſ hac Abravanel refutatis ſuperioribus opinionibus, tandem ſuam profert, eamque tribus propoſitionibus explicat. Prima, Etſi quod ad animam omnes homines differant ratione bonitatis & malitiæ quæ in illa eſt, tamen omnes quo ad corpus ejuſdem prorſus conditionis ſunt: omnesque in unũ locum tendunt. Secunda, dantur Dæmones qui ſæpe futura percipere valent, uti ex variis antiquorum libris conſtat. Tertia, Dæmones communionem aliquam habent cum cadaveribus (qua in re conſiſtit omnis ſcientia magiæ) ita ut poſſint adſumere vel induere, ex iiſq; reſponſa dare conſulentibus. Triplici illa ratione, ac modo, inquit, fieri non poteſt, ut magi in animas hominũ agant; ac proinde animã Samuelis a pythoniſſa non eſſe redditã cadaveri; ſed ſpiritum aliquẽ excitatum magicis artibus induiſſe cadaver Samuelis futuraq; prædixiſſe. Verum hęc opinio, dum eam penitius conſidero, nõ videtur ſatis veriſimilis eſſe: nam Samuel offenſus importunitate Saulis, ait, *cur me commoviſti, & aſcendere feciſti?* Quod ſi autem ſolũ cadaver vi magica ſuſcitum fuiſſet, querelæ iſti locus nõ fuiſſet. Denique cogitandum eſt, Dæmones poſſe aere-

um

um corpus formare, & sub eo formam sive imaginem humanam repræsentare.

Quare lubet amplecti opinionem antiquorũ, quam in libro Zoar expressam legimus: Quæ hoc fundamento nititur, quod Deus dicitur ex purissima materia x. Scephirot sive divinas luces fecisse, & ex impuriori alios x. spiritus, potentias exteriores, quos vocant קליפות Keliphot sive putamina. Decem priores sunt summi & supremi, & alij decem sunt inferes seu sublunares. Idcirco certo statuendũ esse dicunt, dari spiritus quosdam quorum tanta potestas in animas hominum defunctorum sit, ut eas sibi subjectas habeant, & quo ipsis videtur corpore induant. Sed necesse est ut id faciant intra spatium XII. mensium, post excessum hominis: Nam per id tempus sępenumero (uti in Gemara Sabat legitur) anima ascendit & descendit ad corpus. Et ratio est, Anno integro anima nõ omnino abest a corpore suo, neque amorem domicilii sui plane abiicit, hinc quamdiu annus iste absolutus nõ est, remigrare ac retrahi potest a spiritibus in corpus suum quippe qui in aëre habitant. Atq; hæc verisimillima opinio est; dicendũ proinde est Samuel animam arte magica pythonissæ in corpus suum revocatã, potuisse Saulem alloqui eiq; futura prædixisse. Quemadmodum

modũ etiam a R. Meyr Gabay in libro Abodat a Kodes obſervatũ eſt. Itẽ ab antiquis in Ialkut dictũ legitur. כל הנביאים כלם נבאו בחייהן אבל לא במותם חוץ משמואל שנבא אף לאחר מותו שנאמר מחר אתה ובניך עמי (Reliqui prophetæ omnes, præter Samuelem vaticinati ſunt, dum viverent: ille autem non tantum in vita; ſed etiam poſt eam prophetavit, quoniam dixit Sauli, *Cras tu & filii tui mecum erunt.*) Sed, ut ad propoſitum noſtrum revertamur, cum Deus velit, honeſtatis & verecundiæ ergo, ut qui poſt mortem apparent vivi veſte tecti appareant; Samuelem idcirco eodem amictum pallio apparuiſſe quo in vita uſus, & quocum ſepultus fuerat. Itaque hinc facile colligere, eſt reſuſcitatos inſtar Samuelis amictos ferali amiculo prodituros eſſe. Nec refert quod veſtimẽta illa corrupta tum erunt; quia Deus poteſt non minus illa, quam corpora corrupta inſtaurare, vel ſimilia illis de novo creare. In Gemara Semachot legitur, eam opinionem olim tantum potuiſſe in animis hominum, ut omnes quorum facultates ferebant, curarent cadavera ſua bombycinis, Halicisque, & id genus pretioſis veſtibus involvi, ut eiſdem induti reſurgerent; donec Raby ejuſmodi ſumptibus modum imponere volens, iuſſit ut ſolum lineo amiculo cadavera

vera

vera involverentur; eaque consuetudo etiamnum durat.

Cap. VII.

An anima infundetur copori, dum in sepulchro adhuc est, an vero postquam ex sepulcho eductum erit?

ANima rationalis (uti ab autoribus traditũ est) infunditur infantibus in utero matris hęrētibus: ideo in BeresitRaba dicitur Pures.
שאל אנטונינוס את רבינו אמר לי מאמתי נשמה נתנה באדם. משיצא 34.
ממעי אמו או עד שלא יצא מכעי אמר לו משיצא ממעי אמו אמר לו
לאו משל אם תניח בשר שלשה ימים בלא מלח וראי מיד הוא מסריח
והודה לו רבי (Quæsivit Antoninus pius ex R. Iuda amicissimo ac conjunctissimo sibi viro, quando anima rationalis infundatur homini, post partumne, an vero ante eum? respondit, cum in lucem editur. O. I. mox inquit alter, haud ita est, nam si caro triduo nullo sale condito relinquatur, putredinem contrahit; quo audito assensit illi Raby.) Raby qui vulgo dicitur sanctus, videtur sensisse tres distinctas animas in homine esse, vegetativam sensitivam, rationalem: priores duas in infante esse, dum adhuc in utero matris est: rationalem vero nequaquam ante partum in infante esse, quia nulli usui est, quam diu infans in utro matris est. At Antoninus sum-

ſummopere illi amicũ contra eſſe aſſerebat: Nam eo ipſo quod creatura opus habet anima vegetativa & ſenſitiva (ſalis inſtar quo caro conditur) ad ſui conſervationem etiam anima rationali indigere, quia non niſi una eademq; anima eſt diverſis tantum potentiis prædita. Huic non repugnavit multum Raby, & concedi poſſe iudicavit. Ad hanc rem confirmandam inquiunt antiqui, infanti, quam diu in utero matris eſt, candelam ſupra caput poſitam eſſe, qua perluſtrat ac videt omnia, quæ ſita ſunt inter utrumq; mundi cardinem: cum autem naſcitur, angelus occludens infantis os, ſeu potius impediens linguæ uſum, extinguit lumen: cumque vi erumpit ex utero infans, eorum omnium obliviſcitur, quæ ante perſpecta habuit, ideo ortum ac natalem ſuum irrigat lachrymis. Quorum verborum non alia mens eſt, quam animas hominum ante partum ſapientiſſimas eſſe, omniumque rerum cognitione imbutas: ſed eos, ſcientia iſta privari, quando corpori inditur, non aliter quam ii qui ex perturbato cerebro in phreneſin incidunt, ac proinde ſcientiam omnem quam diſcendo iterum acquirunt, non eſſe niſi eorum quę ante ſciverunt reminiſcentiam. Quæ Platonis ſententia quoque fuit, plane contraria

Ialmed. Paraſ. picude & Nida cap. 3.

opi-

opinioni Ariſtotelis. Ex hoc jam ſcire licet, utrum animæ eorum, qui reſurgent, infundendæ ſint corporibus in terrę veluti univerſalis omnium matris viſceribus adhuc jacentibus: an vero poſtquam ex ea educta erunt? Ego veriſimilem eorum opinionem eſſe exiſtimo, qui putant, inſtaurationem illam humani generis in reſuſcitatione eodem modo futuram eſſe, quo creatio Adami facta fuit. Deus Adamo poſtquam corpus ejus undique perfectum erat, animam inſpiravit: Eundem in modum Deus animam in reſurrectione mortuorum, infundet corporibus ex ſepulchro eductis. Hoc ita eſſe, manifeſte liquet ex Iezechiele Propheta, qui dicit. Cap. 37. *Et ſcietis, quod ego ſum Dominus, aperturus ſepulchra veſtra, & educturus vos de ſepulchris veſtris popule mi, & dabo ſpiritum meum in vobis, & vivetis, &c.* Ecce, quam ordinate exponit omnia, quæ eventura ſunt aliquando, in reſurrectione mortuorum. Primo aperientur (inquit) ſepulchra, deinde inſtaurata corpora ſurgent, atque educentur e ſepulchris, denique infundetur eis anima. Cabaliſtæ quoque alibi in Zoar idem ſenſiſſe videntur, cum ajunt: על פתחינו כל מגרים אמר רבי *Paraſ.*
יהודה אלו הן הגופות שהן עומרים בפתחי קברות לקבל נשמתן ורומא *Toldot*
נותן פתקא רתושבנא והוא מבריו נאומר רבונו של עולם חדשים גם *Hſac.*

ישנים אותם שנקברו מכמה ימים ואותם שנקברו מזמן מועט כלם צפנתי

Cantic. Cant. 7. 14. לך למיפק להו כחוש בנא (*Supra portas noſtras omne genus dulcedinis*, inquit R. Ieuda, illa ſunt corpora, quæ conſiſtunt ad januam ſepulcri, ut recipiant animas, & Duma, ſive Pluto dabit catalogum, & percunctabitur, ac dicet, Domine mundi, *Novos pariter, atque veteres*, qui diu ſepulti fuerunt, & qui haud ita diu terræ conditi ſunt, omnes illos cuſtodivi tibi, ut ordine ſuſcitentur.) Hinc igitur quilibet videt, eos judicaſſe, Deum animas reſurrectionis tempore infuſurum corporibus formatis, perfectiſque: quippe exſpectantibus eas ad januas ſepulchrales. Itaque manifeſtum eſt, formationem illam diſſimilem fore communi hominum generationi: nam in generatione hominis, anima infunditur infanti in utero matris adhuc hærenti, uti ante dictum eſt.

Cap. VIII.

An reſurrectio mortuorum futura ſit communis omnibus ac ſingulis Iſraelitis.

ACcedentibus nobis ad tertiam cauſam, nempe materiam, prima quæſtio ſit, an reſurrectio futura ſit univerſalis? Super eo variæ ſunt Rabbinorum opiniones; R. Sehadia

Iehadia Gaon, & R. Moses Gerundensis, & R. David Kimchi ad psal. 2. existimant resurrectionem mortuorum ad solos justos pertinere: quod confirmant antiquorum testimonio, quod hunc in modum sonat;

גבורת גשמים לצדיקים ולרשעים אבל תחית המתים לצדיקים בלבד

(Pluviæ beneficium commune est probis, & improbis: sed resurrectio mortuorum dumtaxat eorum bonum est, qui pie ac probe vixerunt.) Cæterum si illud ad rationis obrussam exigamus, recteque rem, uti sapientum est, examinemus, comperiemus non minus improbos, quam probos resurrecturos esse; uti liquet non modo ex lumine intellectus; sed etiam autoritate sacrarum literarum, veterumque sapientum. Ex lumine intellectus, seu vi rationis inquam, quia si finis resurrectionis est, ut corpus conjunctum animæ, præmio aut pœna factorum afficiatur. uti ante ostendimus) ergo etiam improbi suscitabuntur, ut crucientur ac puniantur. Ex sacris literis, quia apud Davidem dicitur, *Multi ex dormientibus in pulvere terræ suscitabuntur*. Quod si illi multi soli justi forent, pauci profecto essent: nam tales haud ita multi inveniuntur. Quid quod statim addatur, *Alii in vitam æternam*, *alii in opprobrium, ut videant semper*: Quod equidem de malis &

Cap. 12. 2.

M

& impiis dicitur. Accedat huc teſtimonium veterum, quorum hujuſcemodi verba ſunt in Perek Heleq, *Omnis Iſrael particeps erit futuri ſæculi*. Cæterum ex omnibus iſtis tria genera tantum excipiunt, primo, eos qui non credunt reſurrectionem mortuorum, deinde, qui negant legem eſſe divinam, denique Epicureos. Item in Midras Soher tob legitur. דור המבול אין להם חלק לעולם הבא (Generatio diluvii non erit particeps futuri ſæculi.) Idem quoque confirmatur in Sanhedrin, & Bereſit Raba. Quod ſi antiqui Sapientes credidiſſent malos non reſurrecturos, quorſum iſtos particulatim excepiſſent? Sed ex hoc apparet eos ex malorum qui reſurrecturi ſunt ordine iſtos tantum excluſiſſe, quos diximus. Item ſi alibi antiqui negent omnes & ſingulos malos atque impios reſurrecturos eſſe, quare excipiunt ſolam generationem diluvii? In Ros a-Sana etiam aliquid dicitur, quod ad confirmationem hujus ſententiæ facit. Ita enim verba ſonant. שלש כתות ליום הדין אחד של צדיקים גמורים ואחד של רשעים גמורים ואחד של בנוניים. (Tria genera hominum comparebunt in die judicii, unum eorum, qui perfecte juſti fuerunt, id eſt quorum merita plura ſunt quam demerita; alterum peſſimorum, quorum demerita plura ſunt quam merita; tertium eorum

rum qui inter hos duos medii ſunt, quorum merita ac demerita paria ſunt) ſi itaque dies judicii conjunctus erit reſurrectioni mortuorum, uti poſtea oſtendemus, & quemadmodum *R.* Selomo, Toſaphot, & Gerundenſis credidere, ac tum tria genera hominum juſtorum, malorum, & intermediorum judicanda ſint, neceſſe ſanè eſt, ut cujuſvis generis homines reſurgant. Item in Pirque R. Eliezer. כל המתים עולים לתחית המתים חוץ מדור המבול (Omnes defuncti reſurgent die reſurrectionis mortuorum, excepta generatione diluvii.) Ex his omnibus liquet, opinionem iſtam falſam eſſe.

R. Haſday Creſcas in libro ſuo Or a-ſem motus autoritate quorundam locorum, quæ jam citavimus, ſtatuit, reſurrectionem mortuorum ſolum pertinere ad eos, qui vel rectiſſime, vel peſſime vixerunt: non autem ad illos, qui inter utrumque medii fuere. Dicit enim intermedios illos ſatis præmii conſecutos eſſe, cum ſint in mundo animarum: neque neceſſe eſſe, ut propter illos adeo magnum miraculum fiat, quale eſt reſurrectio mortuorum. Ac proinde, cum antiqui ajunt, *Omnis Iſrael particeps erit futuri ſeculi*, illud *omnis*, exponit de majore parte; vel per *futurum ſeculum*, intelligit illud, quod manet poſt mortem, id eſt, mundum animarum.

Verum enimvero etiamſi hæc opinio magis conveniat cum verbis Danielis, quam prior: nihilominus tamen non eſt admittenda: quoniam non convenit cum textuRos a-ſana, qui loquitur de tribus claſſibus, ſeu triplici hominum genere: neque cum altera opinione de qua ante, quæ ſolam generationem diluvii excipit a reſurrectione mortuorum.

Quare ex mente, ac opinione omnium antiquorum, concludimus, reſurrectionem mortuorum non fore generalem, ac communem omnibus hominibus; uti etiam ex loco Danielis conſtat, *multi ex dormientibus in pulvere terræ expergiſcentur*. Nota quod dicat *multos*, non vero *omnes*. Interea tamen inter multos illos, erunt cujuſvis ſortis ac conditionis homines, probi, improbi, & intermedii. Probi ad ſuum commodum ac bonum ut recipiant præmium virtutis. Improbi, ad incommodum & malum ſuum, ut corpora atque anima ſimul puniantur, ac miſere crucientur. Idcirco a Pſalmiſta dicitur: *Ideo non conſiſtent impii in judicio*. Id eſt, reſurgent quidem: ſed non conſiſtent; quippe reſurrectio illa, non fiet eorum bono, ac commodo: ſed ad graviſſimam eorum pænam. Hinc Chaldæus Paraphraſtes pro לא יקמו, ponit לא יזכון non merebuntur; atque illud eſt, quod

Pſal. 1. 5.

quod diximus. Intermedii expergiſcentur ſuo bono: nam aliquamdiu quidem punientur: ſed poſtea puri atque immaculati facti, recipientur in ordinem bonorum, ut cum illis pari felicitate fruantur. Illud enim indicat veterum axioma: *Omnis Iſrael particeps erit futuri ſeculi.* Non dicitur reſurget, ſed particeps erit. Id eſt, quicunque reſuſcitati fuerint, illi ſeculi futuri beatitudine fruentur, vel partem obtinebunt terræ ſanctæ, quando ea in tribus diſtribuetur. In hunc ordinem recipiunt quemvis antiqui, qui ob unicum tantummodo præſtitum præceptum, non rejiciens interim cætera: ſed ea approbans, meretur nomen Iſraelitæ; excepto triplici illo hominum genere, primum qui negant Deum eſſe, deinde qui legi Moſaicæ divinitatem derogant, denique qui non agnoſcunt reſurrectionem mortuorum: tales enim etiamſi honeſte ac probe in cæteris vixerint: nihilominus tamen beatitudinis participes non erunt: ſed expergiſcentur, ac reſurgent, ut in æternum crucientur: juxta verba Eſaiæ, *Et egredientur & videbunt cadavera virorum prævaricantium in me, quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, &* Cap. 66 24. *erunt nauſea omni carni.* Itaque omnis generis homines reſurgent. Cum autem illi om-

nes, quorum corpora in hac vita puncta satis sunt; animæ vero etiam in inferno torqueantur, eximantur ex numero eorum qui gavisuri sunt miraculo resurrectionis, & qui in ultimo judicio sunt comparituri: ideo dicunt veteres, quod soboles illa, quæ tempore diluvii vixit, non resurget: uti etiam, neque Sodomitæ, neque Corazitæ, & id genus, alii non expergiscentur. Hinc, cum de istis loquuntur Rabbini Talmud Ierusalmi, utuntur nova phrâsi, אין להם חלק לעולם הכא ואינן רואין (Non erunt participes futuri seculi, neque etiam isti id videbunt &c.) At ne cui scrupulum moveat cuiquam, quod in proponenda, ac explicanda prima sententia, de pluvia diximus; cogitandum est, non eam autoris mentem esse, ut ostendat resurrectionem mortuorum justis solis propriam fore: sed docere voluit, quæ differentia sit futura inter pluviam, & resurrectionem; inquiens, pluviam communem esse probis & improbis, id est, omnibus æque prodesse: nam cum pluit, non magis piorum, quam impiorum campi, & agri irrigantur. Verum cum resurrectione mortuorum haud ita comparatum est, ut ea non æque utilis sit improbis & intermediis, atque justis: malis enim & improbis haud mediocre, sed grave, ac

maxi-

maximum malum, & incommodum adfert, uti diximus. Atque hac ratione supra commemorata veterum discrepantes sententiæ conciliantur. Apparet etiam hanc opinionem secutum esse Isac Abravanel, & R. Samuel Iaphe, aliosque plures, ut satis a nobis veterum dictis confirmata sit.

Cap. IX.

An etiam gentes resurgant.

NOn minus verisimile est, omnes gentes, ac nationes æque resurrecturas esse, atque Israëlitas, juxta illud veterum dictum, חסידי אמות העולם יש להם חלק לעולם הבא (Piis ex gentibus mundi pars erit in futuro sæculo.) Omnes illi qui nō sunt Israëlitæ, vocantur gentes, seu nationes mundi, vel quia majorē numerū faciunt; Israëlitæ enim pauci sunt, juxta Deut. cap. VII v. 7. vel quia reguntur a proprio ac singulari principe, juxta illud Danielis, *Princeps regni Persarū, princeps regni Græcorum*, *&c.* Israëlitæ vero immediate a Deo benedicto regūtur, juxta verba illa, *vos assumsit Dominus*. Ex his nationibus omnes, ac singuli resurgent, qui probe ac pie vixerunt, quales sūt, qui juxta *R.* Mosē, & R. Meyr Gabay observarunt diligēter præcepta ea, quæ data sunt Noacho: cujusmodi sūt, Nō cōmites idolo-

Deut. 4. 20

idololatriam. Non occides, Non adulterabis, Non maledices nomini Divino, Non latrocinaberis, Non comedes membrum animalis vivi, Et conſtitues judices, qui curent, ut ſex illa præcepta probe ac diligenter obſerventur. Neque illi tantummodo reſurgent; ſed etiam beatitudinis futuri ſeculi participes erunt, juxta veterum illud pronunciatum. אין הקדוש ברוך הוא מקפח שכר כל בריה (Non fraudat Deus præmio ullam creaturam.) Ac proinde dicunt, *illis pars erit*. Neque dubium eſt: quin illi quoque, qui recte de Deo ſenſerunt, pariterque honeſte, pie, ac probe vixerunt, partem in reſurrectione mortuorum obtinebunt: uti ſentit R. Moſes Ægyptius in epiſtolis ſuis: quamvis talis aliquis fuerit ex gentilibus, uti Socrates Plato, &c. Idem quoque confirmari poteſt ex alio antiquorum dicto, quod ita ſonat. ארבעה הדיוטות אין להם חלק לעולם הבא ואלו הן בלעם דואג אחיתופל וגחזי (Quatuor Ediotot non erunt participes futuri ſeculi, nempe Bilham, Doeg, Achitophel, & Gehazi.) Ex quibus verbis in Talmudico concluditur. בלעם הוא דלא אתי הא גוים אחריני אתו (Bilhem eſt, qui non veniet, ſcilicet in futuro ſeculo; ergo alii gentiles venient.) Non mala equidem iſta conſequentia eſt: nam ſi non omnes gentiles ſunt reſurrecturi, ſuper-

ſuperfluum omnino eſt etiam Biliami mentionem facere. At vero quia ejus mentio fit, hinc colligere licet, quod alii etiam gentiles Bileamo ſimiles, reſurgent, nempe ſi digni ſint reſurrectione. Similiter mali atque improbi reſurgent, ut crucientur ac puniantur. Accedat huc etiam teſtimonium Danielis, *& multi ex dormientibus in pulvere terræ expergiſcentur, hi ad vitam æternam, illi in pudorem & opprobrium perpetuum.* Ecce non de Iſraëlitis dumtaxat in ſpecie, ſed in genere loquitur; non dicit enim, multi ex filiis Iſraëlis: ſed multi ex dormientibus in pulvere terræ. Ergo per multos, intelligendi etiam ſunt multi ex gentibus. Præterea in Pirque Abot, R. Elhazar a Kafar inquit. הילודים למות והמתים להחיות והחיים לידון (Qui nati ſunt, ut moriantur; qui mortui ſunt, ut reviviſcant; qui vivunt, ut judicentur.) Ecce orationem generalem, qua omnes in univerſum comprehenduntur, ita ut ne ullus quidem excludatur. Et cum dogma de reſurrectione mortuorum, apud omnes fere gentes receptum, omniumque animis inſitum ſit, ita ut naturali quodam inſtincti inclinare, ac trahi videantur ad illud credendum: ex eo, inquam, liquet, quod inter gentes improbi æque, ac probi reſurgent. Denique in Zoar,

magnæ autoritatis libro legitur, quod illos, qui in captivitate bene de Israelitis meriti sunt, maneat in futuro sæculo magna felicitas.

Cap. X.

Quod omnes illos, qui resuscitabuntur, capiet mundus, & quomodo hoc fiet.

CVm superiori capite dixerimus, quod non modo probi, atque pii, sed etiam impii, ac nefarii homines, ex omnibus gentibus resurgent: quærat quis, quomodo tum temporis universam istam multitudinem capiet orbis terrarum, quoniam nunc fere totus inhabitari, & compleri hominibus videtur? Quare ad hoc respondeo, multos esse orbis terrarum tractus habitabiles, qui jam vel necdum cogniti sunt, vel ob nimium calorem, aut frigus non admittunt ullos incolas. At horum tale nihil erit, quando homines resuscitabuntur. Nam tum omnes orbis terrarum termini, ac tractus fient habitabiles, eaque loca retegentur, quæ hactenus ignota mortalibus latuerunt. Quod autem ad illud attinet, quomodo Palæstina, sive terra sancta, & promissa Israelitis, eos omnes capere poterit, hoc optime exponit Esaias hunc in modum;

dum; *Dilata locum tentorii tui, & cortinas tabernaculorum tuorum extendam, ne prohibeas, prolonga funiculos tuos, & clavos tuos consolida: quia dextra & sinistra dilatabis te, & semen tuum gentes hæreditabit, & civitates desolatas efficient habitabiles.* Per locum tentorii intellige Hierosolyma; per cortinas tabernaculorum, urbes sanctæ terræ. Insuper ait propheta, quod illæ sese in longissimum spatium extendent. Qua in re convenit cum Zechariæ verbis, qui versu primo capitis noni ait, quod Hierosolyma extendetur usque ad portas Damasci, & quod Hamat cum Tyro, & Sidone intrabit terræ sanctæ terminos, quẽadmodum exponit Chaldæus paraphrastes. Id ipsum quoque confirmari potest ex Ieremia, ubi ait: *Ecce dies veniẽtes dixit Dominus, & ædificabitur civitas Domino a terra Hananeel, usque ad portam anguli. Et exibit ultra lineã mensuræ coram eo super collem Gares, &c.* Porro propheta Esaias ait, quod terra illa meridiem & septentrionem versus longissime extendetur, omnesq; simul civitates desertæ, ac desolatæ futuræ sint habitabiles & incolarum plenissimę. Atq; hac quidẽ ratione hæc quæstio solvi potest, nã certissimũ, quã plurimas esse mundi partes, quæ nunc sunt quidem incognitę, & cultoribus vacuę, ob nimiũ calorẽ vel

Cap. 54.

31. 33.

vel frigus : quæ tunc moderata caloris, ac frigoris temperie fient habitabiles, & incolis plenæ.

Cap. XI.

An mortui illi, quos suscitavit Ezechiel, secundo sint resurrecturi in futuro sæculo?

ANtiqui existimant, Ezechieli, non tantum repræsentatam fuisse futuram resurrectionem in ea quam vidit cap 37. visione : sed etiam per eam ipsam, quia videlicet vidit resurgere ipsa illa ossa, quæ defunctorum ossa erant. Hinc R. Jehudah inquit, באמת משל היה (Cum ipsa rei veritate significavit exemplum) & paulo inferius: מתים שהחיה יחזקאל עלו לירושלים והולידו בנים ובנות (mortui, quos suscitavit Ezechiel, adscenderunt Hierosolyma, & genuerunt filios, filiasque.) R. Iehudah quoque asserit se ex iis oriundum esse, & quædam Tephilim habuisse, quæ ab iis accepta pater suus reliquerat. Hic igitur quæritur, an illi secundo cum reliquis sint resurrecturi? Respondemus ad hoc, etiamsi quæstio hæc ab aliis non modo non soluta, sed ne proposita quidem sit : verisimile nobis videri, eos secundo cum reliquis hominibus

nibus in extremo reſurrectionis die reſurrecturos. Nullus ſiquidem alius in iſta viſione Dei ſcopus fuit, quam ſolari Iſraëlitas, triſtes ob exceſſum quamplurium, qui nullam ſalutis, aut opis divinæ ſpeciem videntes in longa ac diuturna illa captivitate mortui erant: promittendo iis facturum, ut quemadmodum miraculoſe oſſa iſta ſicca & emortua, ad vitam virtute ſua divina redierant: ita etiam ipſi, miraculoſe aliquando curentur: quia quod naturaliter impoſſibile eſt apud homines, id apud Deum poſſibile ac facile eſt. Quia vero reſuſcitati iſti, non attigerunt finem futuræ redemptionis, id eſt, non conſecuti ſunt animo, & corpore præmium operum ſuorum, quod demum dabitur poſt diem judicii: conſentaneum eſt, ut quo ea ipſa felicitate fruantur, iterum reſurgant. Idem dicendum eſt, de iis, qui a prophetis Elia, atque Eliſæo reſuſcitati ſunt. Addamus huic, quod in Sanhedrin legitur de ſuſcitatione horum mortuorum, quos Ephraëmitas fuiſſe volunt: quia 1. Paralipom. cap. VII. dicuntur, interfecti a Gathæis, idque hunc ob cauſſam quod perperam numerando quadringentos, & triginta annos ſervitutis Ægyptiacæ (ex opinione Rabbinorum) a vocatione Abrahæ eam ordiantur cum non inde,

de, ſed a nativitate Iſaaci ſint numerandi, quã-
do ex Ægypto profugerant, eamq; relique-
rant exiſtimantes jam tum liberationis præ-
dictum tempus advenisse; eaque de cauſſa di-
vina providentia ac voluntate interfecti ſint:
Cap. 37. 9. idcirco loquens de illis Ezechiel ait, *Veni
ſpiritus, & ſuffla in interfectos iſtos.* Quare
cum illis talia evenerint, filiique fuerint E-
phraim ſancti, & optimi viri: ideo veriſimi-
le eſt, quod illis prærogativa quædam dabi-
tur in futuro ſæculo. Atque hæc quidem hac
de re ſententia noſtra eſt, quia autoritate ve-
terum prorſus diſtituimur.

Cap. XII.

An infantes, qui innocentes, etiam ſint reſurrecturi.

MVlta & præclara de infantibus dicun-
tur in libro Zoar: uti primo ubi ſcri-
ptum eſt Paraſ. Miſpatim. אתר אית מתקנא להון בהאי
עלמא דאפילו צדיקים גמורים לא יכלין לאיתקיימא תמן וק״בה רחים
ואיתדבק בהון (Locus conſtitutus infantibus in il-
lo mundo, tam eſt excellens, ut perfectiſſi-
me juſti ſive qui optime, atque integerrime
vixerunt, eo digni non cenſeantur; & Deus
amat eos, eiſque ſe unit. Deinde alibi quo-
que

que de iis legitur, quod tradantur cuidam *Paraſ.*
inſtitutori, qui illis eſt vice pædagogi, eoſ- *picude.*
que inſtituit, & de ſabbato in ſabbatum, &
de menſe in menſem, conſtituit eos coram
patre totius univerſi, qui propter illos miſe-
retur ſæpe totius mundi. Quare veriſimilli-
mum eſt, cum infantes, ob innocentiam ſu-
am & immunitatem ab omni peccato, ad
tam ſublimem beatitudinis gradum in mun-
do animarum evehantur, eos etiam partici-
pes fore reſurrectionis mortuorum in futuro
ſœculo. Idem etiam conſequenter probari
poteſt ex Talmude, ubi in tractatu Sanhe-
drim inquit R. Gamliel. קטני בני רשעי ישראל אינן *Cap. 11.*
באים לעלם הבא ר' עקיבא אומר באין (Infantes impio-
rum Iſraëlitarum, non erunt participes futu-
ri ſæculi; R. Aquibah inquit, imo partici-
pes erunt.) Quæſtio eſt inter doctores Rab-
binos, de ſtatu infantium poſt mortem, qui
propter peccata parentium mortui ſunt. R.
Gamliel ſtatuit hujuſemodi infantes non fo-
re participes felicis, ac beatæ reſurrectionis,
ne iſto gaudio impii parentes fruantur. R.
Aquibah vero ſentit contrarium, quia infan-
tes iſti nihil mali commiſerunt, neque pec-
catores ſunt. Atque hæc ſententia longe ve-
riſimilior eſt. Sed ex eo quod de ejuſmodi
infantibus doctores iſti diſputant, colligitur
non

non obſcure eos omnes communiter concedere, infantes iſtos omnes, piorum parentum, reſurrecturos eſſe, & fælicitate gaviſuros futuri ſæculi. Ex eo etiam conſequitur (uti colligitur ex Gemarah Ketuboth cap. XIII.) etiam abortivos reſurrecturos, id eſt, quibus in utero matris infuſa eſt anima, juxta illud Eſaiæ, *Cadavera mea expergiſcentur, &c.* Vt illi fœtus qui nondum anima præditi fuere, non expergiſcentur: quomodo enim ſecunda vice anima rediret ad corpora informanda, quæ prima vice animata non fuerunt? Atque hæc quidem hactenus.

Cap. XIII.

An qui vivi adhuc erunt in die reſurrectionis, morituri ſint, ut deinde reſuſcitentur, an vero non?

R. Sehadya in libro ſuo Aemunot, inquit, quia hac de re nihil ſcripto a majoribus traditum eſt; totumque quod de ea dici poteſt, arbitrio doctorum ex rationibus naturalibus judicandum relinquatur: ideo variæ ſuper eo ſunt opiniones; Fuerunt, qui exiſtimarũt, eos qui in die reſurrectionis vivi ac ſuperſtites adhuc erunt, nunquam morituros

turos esse; alii contra qui id affirmabant, & quod deinde resuscitandi essent, ut ista ratione resurrectio communis & universalis esset. Alii erant qui dicerent, eos aliquot annis quidem supervicturos, sed tandem morituros nec in vitam resuscitatum iterum iri. Ex his tribus opinionibus amplectitur prædictus R. Sehadya posteriorem, tanquam certam: quia Iesaias longæ istius vitæ mentionem facit, cum inquit, *uti dies arboris, dies populi mei*; Cap. 65.
& paulo superius, *puer centum annorum morietur*. Et ratio ei favere videtur. Etenim finis quoque resurrectionis est (sicuti in sequentibus a nobis demonstrabitur) ut pii, atque optimi viri, qui spe futuri boni multa incommoda ac gravissimas calamitates tempore captivitatis æquo animo perpessi sunt, beatioris ævi participes fiant; quid opus est, ut moriantur, qui tum adhuc erunt superstites? & quid impedit, quo minus statim beatitudinem istius ævi consequantur? Vel si hic quoque finis resurrectionis est, ut Deus coram viventibus, vim, ac potentiam suam tanto miraculo ostendat, cur illi statim morientur? Iuxta hoc Esaiæ illud, *sicuti dies arboris, dies populi mei*, promissum erit generale ac universale. Quia resuscitati, tanquam creaturæ novæ a Deo immediate formatæ, tali vigore, ac robore perfūdētur ut victuri & permāsuri

ſint veluti ſolida ædificia & arbores lõgo ævo radicatæ. Idem hoc per conſequens eveniet iſtis, qui tum vivi erũt ac ſuperſtites: nam guſtata ſemel inſigni iſta divina liberatione, cõjuncta cum felicitate & gaudio, nulloque dolore aut ſuſpirio mixta vel interrupta, rejuveneſcent & novas vires vigoremque priſtinum recipient, ſic ut credituri ſint ſe in medio dierum ſive flore ætatis mori, quando centenarii erunt & vitam ultra protollent.

Sed adjungamus dictis hoc etiam argumentum: ſi omnibus moriendum eſt, tum alterum horum duorum conſequatur neceſſe eſt, vel omnes morituros ſimul in ipſa reſurrectionis die, vel ſingulos ſucceſſive, ſua quoſq; conſtituta hora morituros. Si dicamus prius, quod omnes ſcilicet ſimul morituri ſunt, ac mox cum reliquis reſurrecturi: quæro, cui bono morientur & tranſitum iſtum dolorificum de vita in mortem experientur? nam ſatius erit eos non mori: & vitam in longum ævum producere, imprimis cum intentio Dei non ſit ut vivi moriantur; ſed ut mortui reviviſcant. Si poſterius dicamus, longe abſurdius quid inde ſequetur: nam morientibus diverſis hominibus, diverſis temporibus, neceſſario etiam non una, ſed variæ variis temporibus dandæ erunt reſurrectiones:

nes: quod cum dictu absurdissimum sit, neque auditum unquam, ideo concludimus non necessarium esse, ut resurrectio mortuorum æqualiter etiam ad illos pertineat, qui tum temporis erunt superstites: interea tamen judicium illud extremum, quo Deus vivos ac mortuos judicabit, universale ac commune erit omnibus. Quamvis igitur nonnulli sint, qui concludant omnibus ac singulis moriendum esse, ex illo antiquorum dicto, in Sanhedrin, *Omnibus Israelitis pars est in futuro mundo*: argumentando hunc in modum, si omnes resurgent, ergo etiam moriantur necesse est: nihilominus tamen illud inde non sequitur: nam, uti ante diximus, non habetur, quod omnes sint resurrecturi, sed quod omnes Israëlitæ fut uri seculi erunt participes, id est, partem obtinebunt in divisione terræ sanctæ, vel felicitate illius seculi fruentur; ac proinde non est necesse, ut omnes moriantur: nam ea beatitudine tum vivi, tum mortui frui possunt. Eadem opinio est R. Meyr Gabai, uti videre est ex XLII. cap. libri secundi Abodat a-codes. Iuxta hunc opinionem igitur excusandus est doctissimus vir Ishac Abravanel, quod *mundum futurum* interpretatus sit de mundo animarum: nam hoc cum verborum sententia

 mini-

minime convenit, uti ex Gemara liquet, quæ mundum futurum interpretatur de mundo resurrectionis; quemadmodum erudite a R. Mose Gerundense observatum est. Atque hactenus quidem dictum a nobis esto, de hac materia, quantum de ea nobis cognoscere datum est.

Cap. XIV.

An instauratio & reformatio mortuorum futura sit per aliquod medium.

QVamvis Deus Opt. Max. in edendis miraculis vim naturæ excedat: nihilominus tamen naturæ adminiculo & ministerio non raro utitur, quando miraculo aliqua facere vult, uti apparuit in divisione atque exsiccationes maris Erythræi. Primum enim misit Deus vehementiorem ventum, qui aquas dispelleret, & mare siccum reddebat. Idem & alias a Deo persæpe factum esse constat. Ac proinde ex opinione veterum certissimum est, quod resurrectio mortuorum futura sit, ope & auxilio roris cœlitus missi, qui vim plasticam habiturus est, uti in Talmude Hierosolymitano, & Ialcude perscriptũ est, מניין שאין המתים חיים אלא בטללים שנאמר כי טל אורת טליך (Vnde probas, quod mortui non resurgent nisi

nisi mediante rore? quia legitur, *Vivent* *Esaias*
mortui tui, cadaver meum resurget; expergis- *Cap. 26.*
cimini, & cantate habitatores terræ, quia ros 19.
olerum, ros tuus.) Ad hæc R. Ioseph Albo inquit, quod ros ille præditus sit futurus vi plastica ad modum seminis virilis, ad informandam terram apte & convenienter dispositam, quæ vice materiæ est instar seminis mulieris. Idem etiam a nobis supra observatum est, in citatione quorundam textuum ex libro Zoar. Huc spectarunt quoque viri synagogæ magnæ, in oratione ista sua, qua ajunt אתה גבור לעולם יי מחיה מתים אתה רב להושיע מוריד הטל (Tu potens es perpetuo Domine; resuscitans mortuos tu, magnus ad servandum; facis descendere rorem.) Nota quod miraculosæ resuscitationi mortuorum mox adjungant rorem, non alio fine, quam ut indicent eam mediante rore futuram esse. Erit tum reformatio aut recreatio nova non dissimilis creationi & formationi Adami: nam quando ille creabatur, tum ut inquit S. S. *adscendit vapor ex terra, & irrigavit superficiem terræ, & fecit Dominus Deus hominem.* Id est, juxta Isshak Arama, vapor, qui nihil aliud est quam humidus aër, qui vi caloris Solaris sursum sublatus, descendit super terram, eamque humectans, præparavit massam illam, ex qua

factus est homo. Eodem modo se res habebit in resurrectione: tum enim ros ille cælestis idem efficiet.

Cap. XV.

An resuscitati eisdem, quibus ante vestiti fuere, an vero aliis corporibus induti sint resurrecturi.

VAriæ sunt opiniones de corporibus, quibus induentur resuscitati: multi enim arbitrantur ea longe alia, atque a prioribus diversa fore, scilicet aëria, subtilia, & agilia; alii putant ea similia futura cælestibus & angelius corporibus: verum meo judicio opiniones illæ non sunt assis faciendæ, neque admittendæ: nam resurrectio nihil aliud est, quam ejusdem corporis cum eadem anima conjunctio, in eadem forma ac figura, ac proinde vocatur (חיים) id est, nova vita, quia hæc resurrectioni propria est. Quare ex communi Hebræorum dicimus resurrectionem fore, quoad idem numero corpus, easdemque numero qualitates. Cæterum non ignorandum est, hanc opinionem suis difficultatibus non carere, & quidem hac imprimis, quod tale quid propemodum fieri non

non posse videtur. In confesso est, ac certo constat, corpus humanum ex quatuor elementis compositum esse idemque post mortem destrui, & partem ejus quamlibet in sua elementa resolvi, ex quibus postea alia, atque alia, in infinitum fere fiant juxta corpora. Id si ita est, quomodo in resurrectione mortuorum, idem numero corpus cum omnibus membris ac partibus suis revertetur ad constituendum & integrandũ eundẽ numero hominem? quippe fieri potest, ut dilaniato corpore a feris, partes ejus in substantiam alterius viventis mutatæ sint: quomodo igitur restituentur eædem partes in resurrectione? ponamus partem unam in leonis, alteram in formicæ, tertiam in piscis substantiam esse commutatam: an forte dicemus animalia illa destructum & in partes resolutum iri, ut eæ iterum ingrediantur compositionem hominis? Profecto hoc tantundem foret, acsi quis guttulam aquæ, quam in medium mare effuderat, inde recolligere vellet. Posito etiam casu, quod ex unius hominis elementis fiat ac componatur alius homo & uterque meritus sit, ut resurgat: qua ratione fieri potest ut eædem portiones eidem jungantur, ac copulẽtur corpori? Quod quod de eadem portione oculi non potest fieri ali-

 us

us, idemque numero oculus? & ſic in reliquis. Ex quo conficitur, fieri non poſſe, ut idem numero corpus, eiſdemque qualitatibus, quibus ante prædituni fuit, reſurgat.

Hanc difficultatem cum quidam viderent, eamque ſolvere non poſſent, dixerunt eoſdem homines reſurrecturos eſſe, non ratione corporis: ſed animæ, quia illa percipua, ac potiſſima pars eſt, quæ conſtituat hominem: corpus vero novum, atque numero aliud fore. At opinio hæc abſurda omnino eſt; quia ſic non daretur reſurrectio: ſed ſolummodo tranſmigratio animarum in nova atque diverſa corpora.

R. Haſday, & R. David Kimchi (uti liquet ex illis, quæ notat ad finem Malachy, de corpore Eliæ) exiſtimant Deum in reſurrectione mortuorum producturum eſſe nova corpora, eadem quantitate, qualitate, ac temperie prædita, & forma atque figura prioribus paria, atque iſtis corporibus infuſurũ proprias animas; cumque operationes animæ ſequantur temperamentum corporis futurum inde, ut idem homo numero reſuſcitetur; atque hac ratione, actionem illam proprie dici poſſe reſuſcitationem mortuorum. Eandem opinionem ſequitur Iſaak Abravanel, in libro ſuo Nahalat abot, & Mahume-

humetanus ille Abuchamad. Sed quantum mihi videtur, error hic a priore non abludit: nam licet corpus eadem forma ac figura præditum restituatur, non desinit tamen aliud numero esse corpus quemadmodum statuæ, eadem prorsus forma ac figura ab artifice elaboratæ, non possunt dici una eademque numero statua. Adde cum finis resurrectionis sit, ut idem corpus animæ junctum, præmio aut pœna factorum afficiatur, quis non videt hoc fieri non posse, si novum atque aliud numero corpus sit?

R. Sehadya Gaon conatur huic difficultati occurrere, hac ratione, quod corporis humani naturâ, vel casu extincti, elementa non mutentur, neque misceantur aliis corporibus seu universalibus elementis: sed quod signata, ac distincta maneant ad uniendum se & componendum rursus idem numero corpus: corpora vero humana de novis partibus elementaribus semper fiant. Illæ autem partes servantur eo fine, ut in resurrectione mortuorum, idem corpus constituant; & quamvis separatæ, longeque a se mutuo sejunctæ sint: nihilominus tamen potentia divina facile conjungi ac copulare iterum possunt. Idem sentit quoque R. Semuel Iaphe.

Hæc opinio ſolvit quidem dubium, & valde veriſimilis eſt: ſed tamen meo qualicumque judico, longe aliud quid, ac præſtantius ad hanc rem pertinens a multis antiquorum dictum eſt. Id hoc eſt: Ajunt in ſpina dorſi aliquod oſſiculum eſſe, quod nunquam pereat: ex iſto oſſiculo ſolo poſt interitum & annihilationem omnium aliarum partium, dicunt, hominem inſtauratum, reſtitutumque iri, in reſurrectione mortuorum; juxta illud, quod in Bereſit Raba Paraſ. 28. legitur,

אדריאנוס שחיק עצמות שאל את רבי יהושע בן חנינא מהיכן הק"בה מניץ את האדם לעתיד לבוא אמר ליה מלוז של שדרה אמר ליה מנין אתה יודע א'ל איתיתיה לידי ואנא מודע לך טחנו ברחים ולא נטחן שרפו באש ולא נשרף נתנו במים ולא נמחה נתנו על הסדן והתחיל מכה עליו נחלקה הסדן ונבקע הפטיש ולא חסר כלום

(Adrianus (cujus oſſa comminuantur) quæſivit ex R. Ieoſuah filio Hanina, unde Deus benedictus germinare faciet hominem in futuro ſæculo? reſpondit ille, ex לוז luz ſeu oſſiculo ſpinæ. Rurſus alter, unde noſti hoc? da mihi illud, inquit ille, oſſiculum, & te docebo: contudit illud in mola, ſed non tuſum eſt; conjecit in ignem & non conflagravit; conjecit in aquam, & non attritum eſt; impoſuit incudi, malleoque cecidit; ſed ne hilum comminutum eſt.) Imperator Romanus, ſive quod rideret reſurrectionem mortuorum, ſive quod audiverat aliquod in-

cor-

corruptibile oſſiculum eſſe in corpore humano, cupiditate eius ſciendi; vel quia, uti veriſimilius eſt, hæſitabat ob difficultates eas, quas iam recenſuimus, quæſivit ex R. Ieoſua filio Hanina, unde, vel quomodo reſtituerentur mortui, quorum membra tam longe, lateq; diſperſa eſſent ac diſſipata? Reſpondit illi R. Ieoſuah, ex oſſiculo ſpinæ dorſi, appellato luz, quod incorruptibile eſt; Qui cum non poſſet facile adhibere fidem, experimento ei oſtendit ita eſſe. Hæc opinio, ſiquid antiquis credimus, non improbabilis eſt. Iſtud enim oſſiculum tale eſt, ut nequeat interire, quamvis hodie nullus ſit, qui illud noverit. Sunt qui arbitrentur, Davidem huius oſſiculi mentionem facere, cum ait, *Cuſtodiens oſſa ejus, unum ex iis non conſumptum eſt*. In Zoar præclaro ſatis libro, eadem ſententia quoque confirmatur: hinc in Toldot Noah, & Toldot Iſhach legitur. *Pſal. 34. 21.*

כל אינון מתין דאישתכחין לבר בשאר ארעין נוכראין קב״ה יברא להו,
גופייהו כרקחוי דהא גרמא חד דאישתאייר ביה בברנש תחות ארעא
ההיא גרמא איתעביר כעיסה בחמירא

(Omnibus defunctis, qui invenientur procul in peregrina terra, creabit Deus benedictus corpus ſuum quale convenit: nam unicum oſſiculum hominis manet ſub terra, quo corpus iſtud formabitur, tanquam ex maſſa fermen-

menti.) Id eſt, quamvis multorum corpora deperditis multis partibus integra reſtitui non poſſunt; non idcirco tamen deſtituentur reſurrectione: nam ſemper remanet aliquod oſſiculum, quod inſtar fermenti per maſſam totam ſe diffundit, vel quod ita excreſcit, uti granum tritici, ex quo naſcitur ariſta. Hoc idem etiam aliquanto clarius expreſſum legitur a R. Hya, his verbis. ההוא
גופא דהוא יקום משמע דכתיב יחיו מתיך ולא כתיב יברא משמע דבריין
אינון יחיו דהא גרמא חד אישתאר תחות ארעא וההוא לא יתרקב ולא
תבלי בעפרא לעלמין ולההוא זמנא קב"ה ירכך ליה כעיסה בחמירא,
יסתלק ויתפשט לד' זוין ומניה אשתכלל גופא וכל שייפוי וקב"ה יהיב,
ביה רוחא לבתרא א"ר אלעזר הכי הוא ותא חזי ההוא גופא כמה
איתרכך בטל דכתיב כי טל אורות טלך (Sciendum eſt reſurrecturum eſſe, idem corpus quod fuit, quia ſic ſcriptum legitur, *vivent mortui tui*, non autem legitur, quod Deus ea creabit: quippe illæ ſolum creaturæ quæ ſunt, vivent. Eſt enim oſſiculum, quod ſub terra manet incorruptibile, neque ſeneſcit unquam aut in pulverem abit. Iſto tempore Deus benedictus emolliet illud, & turgidum reddet ſicuti maſſam fermenti, & allevabit, atque extendet in quatuor partes, atque hinc corpus, ejuſque membra fient; tum Deus benedictus infundet illi animam. Ita eſt, inquit, R. Elhazar. At oſſiculum iſtud quo pacto emollietur?

Eſa. 26.

tur? rore; sic scriptum est, *quia ros olerum, ros tuus.*) Idem quoque confirmat R. Eliezer in Pirque, cap. XXXIV. Officulum istud in se continet indolem propriam, vimque plasticam totius corporis: idcirco ex eo instaurari potest corpus humanum. Neque necesse est, ut omnia membra permaneant ad constituendum idem corpus; reliqua maneat una aliqua pars ex qua totum iterum componi possit. Vtra sententia sit verisimilior, hæc, an præcedens *R.* Sehadya Gaon, jam non disputo: hoc saltem dico, luce meridiana clarius hinc liquere, quod idem numero corpus aliquando resurget. Idcirco ait Esaias; *Mortui tui vivent, cadaver meum expergiscetur.* Id est, idem numero cadaver, seu corpus mortuum. Hujus rei etiam manifestum exemplum sumere licet ab infantibus, quos Elias, atque Elisæus suscitarunt: sicuti enim hi iisdem corporibus vestiti fuerunt, ita etiam idẽ quid accidet reliquis corporibus omnibus in resurrectione mortuorum. Non minus illustris locus est apud Ezechielem ad idem comprobandum. Verba hæc sunt, *Et fuit tempestas, & accesserunt ossa, os ad os suum*, id est, cum ossa diversimode inter se commixta jacerent, facta est commotio, qua ossa vehementer agitata conturbataque fuerunt, ita ut unumquod-

Esa. Cap. 26.

Cap. 37. 7.

quodque illi se jungeret, cui jungi debebat, id est, caput pedibus; crura brachiis, ac ita porro in reliquis.

Viri synagogæ magnæ in fine quarundam precum idem quoque innuerunt, iuxta illud ברוך אתה ״ המחזיר נשמות לפגרים מתים (Benedictus tu sis Domine, faciens redire animas in corpora emortua.) Et in Midras R. Simhon Ben Johay; inquit R. Hya ההוא גופא דהוא יקום ממש דכתיב יחיו מתיך ולא כתיב יבראו (Idem illud corpus, quod ante fuit, resurget; quoniam scriptum

Dent. 32 est, *reviviscent mortui tui*: non autem, creabuntur.) Sanhedrin cap. 11. Similiter antiqui aiunt אני אמית ואחיה מחצתי ואני ארפא מה מחיצה ורפואה באחר אף מיתה וחיים באחר *Ego occido, & vitæ restituo, percutio & medicor*. Quemadmodum vulnus & sanatio in eodem corpore recipiuntur: ita mors & vita in eodem corpore erunt.) Nimirum hoc erit in resurrectione mortuorum: id enim postulat verborum sensus. Præterea alibi legitur, עומדין במומן ומתרפאין (Expergiscentur cum suis vitiis, & mox sanabuntur.) Atque hæc quidem omnia ostendunt, eadem omnino fore corpora, quæ homines induent, cum suscitabuntur.

Cap.

Cap. XVI.

Quis ordo futurus ſit in formandis corporibus, cum reſurgent?

QVomodo corpora reformanda ſint in reſurrectione mortuorum, ſæpe quæſitum eſt inter veteres, ac præcipue a Bet Samay & Hilel. Hinc in Bereſit Raba hæc verba recipiuntur בית שמאי אומר לא כשם שיצירתו בעולם Paraſ.
הזה כך יצירתו לעולם הבא בעולם הזה מתחיל בעור ובשר וגומר בגידים 14.
ובעצמות אבל לעתיד לבוא מתחיל בגידים ובעצמות וגומר בעור ובבשר
שכך הוא אומר במיתי יחזקאל ראיתי והנה עליהם גידים ובשר עלה
(Academia Samay inquit, Formatio huius mundi diſſimilis eſt formationi mundi futuri: in hoc mundo formationis initium fit a pelle & carne, & deſinit in nervos atque oſſa: verum in futuro mundo exordium fiet a nervis & oſſibus, & deſinet in pellem & carnem: idcirco enim dicitur de mortuis apud Ezechielem, *Vidi & ecce ſuper ea nervi & caro* Cap. 37.
adſcenderat, & operta erat ſuper ea pelle.) In- 8.
terea tamen R. David Kimchy in commentariis ſuis ad hunc locum Ezechielis arbitratur, formationem hominis in utero matris, initium ſumere ab oſſibus, & terminari in pelle & carne: verum non videtur recte ſentire:

tire : nam juxta Physicos incipit a carne.
Par. 14. Deinde etiam in Vayera Raba ratio adfertur a R. Abu, quare Deus noluerit ab ossibus initium formationis humanæ fieri, ne scilicet, molestum nimis foret matri uterum gestanti. Item ex Iobo id confirmari potest, juxta il-
Cap. 10. lud, *Pelle & carne vesties me, & ossibus ac ner-*
11. *vis cooperies me.* Academia itaque Samay inquit, hoc verum quidem esse in ordinaria, ac naturali generatione : sed non in supernaturali, ac miraculosa resurrectione mortuorum. Nam hæc similis erit resuscitationi Ezechielis ; ac proinde primo ossa disponentur, inde nervi, denique carne, & pelle vestientur ; quod ideo fiet, quia nihil molestiæ aut incommodi inde matri evenire potest. Ista enim mater tum terra erit.

Verum Academia Hilel contrarium sentit, neque ab ossibus & nervis initium formationis humanæ fore statuit: sed a carne & pelle; neque eam in carnem & pellem terminatum iri censet : verum in ossa, ac nervos, juxta illud Iobi, *Nonne sicut lac fudisti me, & sicuti caseum coagulasti me? Pelle & carne vestivisti me, & ossibus ac nervis cooperuisti me.* Id est, primo instar lactis fui in utero ratione sanguinis menstrui ; deinde coagulatus sum instar casei vi caloris seminis virilis ; postea te-

ctus

ctus sum carne & pelle; denique coopertus sui ossibus & nervis. Eodem comparatione utuntur, † Plinius, ‡ Gellius, & Galenus *. Cum autem Iobus loquatur in futuro, *fundes*, *coagulabis*, *vesties*, *cooperies*. (Licet illa in præterito a nobis vulgo explicentur) idcirco Academia Hilel judicat, Iobum non modo loqui de priori formatione: sed etiam de futura resurrectione mortuorum, quatenus priori aliquo modo similis est futura. Quorundam opinio est, uti in Zoar Parasah Pinhaz legere est, quod Iobus eo in loco loquatur de incorruptibili isto officulo, quod rore, instar lactis emollietur, & deinde sicuti caseus coagulabitur, ut inde fiat totum, atque integrum corpus humanum. Quod non improbabile videtur; atque admissa ea opinione, cessat controversia, quæ inter Hilelem & Samay fuit, de reformatione hominis.

† *li.* 7. *c.* 15.
‡ *li.* 3. *c.* 16.
* *li.* 2. *de semi.*

Cap. XVII.

An omnia corpora ex pulvere suscitanda sint, an vero prout & quantum isto tempore corrupta erunt.

IN tractatu de Sabbato, ab antiquis hæc quæstio solvitur, juxta illud Rab Mari עתידין צדיקים דהוו עפרא דכתיב וישוב העפר אל הארץ כשהיה (Iusti convertentur in pulverem terræ: ita enim scriptum: *Revertetur pulvis in terram quemadmodum fuit.*) Hinc concludit sapiens ille, quod ex pulvere terræ mortui suscitabuntur: quia multo majus miraculum erit, ex cinere & pulvisculis, quam ex minus corrupta materia corpora instaurare. Idem confirmari potest ex isto loco, ubi hæc verba leguntur.

Eccles. 12.7.

הנהו קפולאי דהוו קפלי בארעא דרב נחמן נחר בהו רבי אחאי בר יאשיה אתו ואמרי ליה לרב נחמן נחר בן גברא אתא ואמר ליה מאן ניהו מר אמר ליה אנא בר יאשיה אמר ליה ולא אמר רב מרי עתידי צדיקי דהוו עפרא אמר ליה ומנו מרי דלא ידענא ליה אמר ליה והא קרא כתיב וישוב העפר על הארץ כשהיה אמר ליה דאיקרייך קהלת לא איקרייך משלי דכתיב ורקב עצמות קנאה כל מי שיש לו קנאה בלבו עצמותיו מרקיבין כל מי שאין לו קנאה אין עצמותיו מרקיבין גששיה חזייא דאית ביה ממשא אמר לי ליקום מר לגיוה דביתא א"ל גלית ארעתיך דאפילו נביאי לא קרית דכתיב וידעתם כי אני יי בפתחי את קברותיכ' ובהעלותי אתכם מקברותיכם והכתיב כי עפר אתה ואל עפר תשוב אמר ליה ההוא שעה אחת קודם תחית המתים.

(Fosso-

(Fossores quidam fodientes terram R. Nahman offenderunt cadaver defuncti R. Ahay flentis atque ejulantis: venerunt hi, & dixerunt id R. Nahman: qui adveniens quæsivit ex illo, quis esset? respondit, ego sum Ahay bar Iosahya. Dixit illi R. Nahman, an non a R. Mari dictum est, quod justi convertantur in pulverem? Respondit ille, quis iste Mary, egone illum novi? Rursus R. Nahman inquit, ita perscriptum est, *& revertetur pulvis in terram sicuti fuit.* Hinc R. Ahay inquit, quamvis legeris Ecclesiastem, nihilominus tamen non legisti Proverbia: in iis enim habetur, *& putredo ossium, invidia*: id est, hominis invidi ossa tantum putrescent, non vero illius, qui invidia non laborat. Deinde eum R. Nahman tetigit, & comperit, corpus vegetum ac validum esse, dixitque illi, erige te Domine, & ito domum. Tum illi R. Ahay inquit, nunc ostendis te non legisse prophetas: nam a quodam dictum est, Esa. 37. *Et scietis, quod ego Dominus aperiens sepulchra vestra & faciens adscendere vos de sepulchris vestris.* Deus igitur est, qui hoc facit. Sed inquit alter, scriptum est, *Pulvis es, & in pulverem converteris.* Imo inquit ille, hoc intelligendum est, de una hora ante resurrectionem.) Licet

Cap. 14 30.

hæc mirabilis ſit hiſtoria: nihilominus tamen non eſt contraria rationi. Etenim ſi animæ ſunt immortales, fieri facile poteſt, ut nonnunquam cum hominibus colloquantur; quemadmodum illud manifeſtum eſt ex Samuelis, & Saulis colloquio. Neque minus rationi conſentaneum eſt, ut corpus aliquamdiu integrum, & ab omni putrefactione liberum conſervetur: nam & hoc experientia ſæpe edocuit. Quare veriſimile eſt, foſſores offendiſſe cadaver illius ſapientis, & ab eo cum R. Nahman ejuſmodi ſermonem habitum eſſe. Sed dato, at non conceſſo, fabulam eſſe, eo antiqui (uti ſæpe inculcare ſolent) docere voluerunt, quod in eorum cadaveribus, qui recte atque honeſte vixiſſent, nihil juris vermes habituri ſint; & quod tamen cadavera eorum hora una ante reſurrectionem mortuorum convertenda ſint in pulverem; nec enim omnibus mortuis ſuſcitandis commune erit, uti ex Adamo liquet, qui ex eorum numero eſt. Huic enim dictum legitur, *pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quia autem quorundam, qui pie, probe, ac juſte vixerunt, cadavera integra, atque incorrupta manent in ſepulchro, quæ alibi ab antiquis recenſentur: idcirco R. Mary inquit, quod ea tandem quoque in pulverem redi-

redigentur. Id ipſum quoque ratione confirmatur: quippe cum miraculoſa reſurrectio omnibus communis & æqualis futura ſit, omnia cadavera ante in pulverem converſa ut ſint, neceſſe eſt. Hinc antiqui ajunt miracula, quæ a prophetis edita fuere, umbram, ac ſimulachrum tantum fuiſſe eorum, quæ fient in futuro ſeculo; ac proinde omnia in reſurrectione mortuorum eo, quo diximus, modo eventura eſſe. Quia Elias, & Eliſæus ſuſcitantes mortuos non aliud quid fecerunt, quam quod in idem corpus eaſdem animas denuo reverti fecerint, & ſic ſuſcitatio iſta non fuit perfecta ac totalis ſuſcitatio, quatenus eadem prorſus corpora erant: Talis etiam ſuſcitatio fuit illa, quæ in viſione Ezechiele repræſentata fuit, quatenus mortuorum iſtorum oſſa integra adhuc & perfecta erant. Cæterum reſurrectionis longe alia ratio erit. Hæc enim fiet, poſtquam corpus plane diſſolutum, omniaque membra in pulverem redacta erunt, manentibus ſolum elementaribus partibus. neque ſe cum univerſalibus elementis commiſcentibus, uti diximus; vel poſt interitum omnium partium remanebit ſolum oſſiculum ſpinæ, ex quo univerſum tũ corpus reſtituetur. Quando autem dicimus neceſſarium eſſe, ut illud

quoque in pulverem redigatur, ſciendum eſt, id futurum etiam proxime ante reſurrectionem mortuorun, & tum immediate ſtatim totum corpus inſtauratum iri. Hoccine an illo modo id futurum ſit, perinde eſt: ſufficit nobis probaſſe, antiquam eam fuiſſe ſententiam, Reſurrectionem non futuram niſi ex pulvere.

Cap. XVIII.

Si una anima, ex opinione Cabaliſtarum, qua tranſmigrationem animarum ſtatuunt, informat varia ac diverſa corpora, omnia ne corpora ſint reſurrectura? Si non omnia, quæ iſtorum ſint reſurrectura?

CElebris, ac decantata illa opinio Cabaliſtarum, de tranſmigratione animarũ fundamentum ſuum juxta eos habet in gratia, ac miſericordia divina. Addunt vero iidem, quod ſicut operationes animæ, plerumque ſequuntur temperamentum corporis; ita animæ etiam aliquo modo apud Deum conque-

rantur.

rantur de eo, quod in meliora, & aptius disposita corpora ab eo non fuerint missæ ac compactæ, cum tota differentiæ, quæ inter homines est, ratio, a corporum temperamento vario dependeat. Hinc cholericus forte dicat, in corpore meo prædominatur bilis; ignavus, ac segnis, in corpore meo phlegma, seu pituita redundat; libidinosus, in meo sanguis bullit, atque ita in reliquis. Ob hanc rem Dominus Deus, ne habeant animæ quod conquerantur aut prætexant, eas in alia nova corpora transmigrare facit; & quidem triplici de causa; vel ut perfectionem istam acquirant, quam ob malam prioris corporis temperiem consequi non potuerant, vel ut perfectiores multo, imo omnibus virtutum numeris absolutæ fiant in hoc mundo, qui virtuti exercendæ destinatus est, uti futurus mundus præmio ac remunerationi; vel denique, ut castigentur, & a peccatis, ac vitiis istis purgentur, quæ in priore corpore commiserant, ut ita purgatæ, ac liberatæ a peccatis in hoc mundo, in mundo animarum bonis quibusdam frui possint; atque ita transmigratio hæc tota cedat bono ac commodo animæ. Hanc transmigrationem dicunt ter fieri voluntate ac permissu Dei, juxta illud Iobi,

Cap. 33. 29. *Ecce omnia ista operæbitur Deus vicibus tribus cum homine.* Ac licet a R. Sehadya Agaon, & R. Ioseph Albo negetur hujusmodi transmigratio animarum: nihilominus tamen ea in Zoar, non exiguæ autoritatis libro, comprobatur ac confirmatur. Quam vera etiam hæc sit opinio, patet ex historia Iudæ, & Thamaris, & ex præcepto de suscitando fratri semine, si improlis discesserit. Multi præterea ex antiquis Philosophis agnoverunt transmigrationem animarum; uti ex Platone in Phædro constat, qui refert ultima Socratis verba hac de re fuisse, cum Athenis ad mortem damnatis venenum bibere est coactus. Similiter Pythagoras, & Virgilius hac de re multa sensere: & fortassis hanc opinionem hausere vel a phrophetis, vel a superioribus seculis. Eandem quoque opinionem sequutus esse videtur Chaldæus Paraphrastes apud Esaiam cap. XXII. XIV. *Si expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.* Vbi addit, מותא תנינא (morte secunda) Id est, donec in aliud corpus anima transmigret, & secunda morte aveo separetur. Hic itaque quæritur, cum unica tantum sit anima informans corpus, eaque in duo, vel tria corpora transmigret; in quod istorum trium revertatur die resurrectionis, quoniam unica anima

anima non poteſt in pluribus ſimul corporibus eſſe? Reſpondemus, quamquam verum eſt ſapientiſſimum Ambonit in Epiſtola iſta quam ad Ariſ bam ſcripſit, iſta ratione adductum negaſſe animarum tranſmigrationem: nihilominus tamen doctiſſimus vir Iſac Abravanel iſtam quæſtionem erudite ſolvit in commentariis ſuis ad legem divinam: & refutat inſuper ea, quæ ab Ariſtotele adverſus iſtam de גלגול *gilgul*, ſive tranſanimatione opinionem obiiciuntur. Ac primo quidem ad quæſtionem iſtam in ſpecie reſpondens probabile eſſe ait, in reſurrectione mortuorum, animas quaſque reverſuras in prima quæ informarunt corpora, ut in iis, & cum iis præmio, aut pœna afficiantur. Quod attinet ad alia corpora, in quæ poſtea migrarunt, ut in illis virtuti operam darent, vel caſtigarentur, ac punirentur, in iſtis a Deo tempore extremi judicii non iudicabuntur: quoniam inſtrumenta tantum fuere voluntatis divinæ. Cæterum opinio illa plane pugnat cum traditione veterum: nam in Zoar hunc in modum dicitur, *Paraſ. Haye Sara.*

אמר רבי חזקיה אי תימא דכל גופין דעלמא יקומון ויתערון אינון דאתנטע
דאתנטעו בנשמתא חדא מה תהא מיניהו אמר רבי יוסי אינון גופין דלא זכו
ולא אצלחו הרי אינון כלא הוו כמה דהוו עץ יבש כהאי עלמא הכי נמי בה
בההוא זמנא וגופא בתראה יקום דאתנטע ואצלח ונטל שרשו כדקאיות

עליה כתיב והיה כעץ שתול על מים דעבד אבין ונטע שרשיו ואצלח כדקא יאות ועל ההוא גופא קדמאה כתיב כערער בערבה ולא יראה כי יבוא טוב טוב דא תחית המתים (R. Hiſquiha inquit, ſi mihi dicas, quod omnia corpora expergiſcentur, ac reſurgent, quid ergo, quæro ego, futurum eſt illis corporibus, quæ informata fuere ab una anima? Reſpondit R. Ioſeph, quod attinet ad corpora illa, quæ nihil meruerunt, neque quicquam boni præſtiterunt: certe cum illis agetur, acſi nunquam in rerum natura fuiſſent; & quia non aliter quam arbor ſicca fuerunt in hoc mundo, non aliter etiam erunt in futuro. Poſtremum tamen quod informatum ab ea fuit corpus reſurget: quoniam fuit plantatum, & fructus protulit, radiceſque egit, uti oportet. Idcirco etiam
Pſal. 2. ſcriptum eſt: *Et erit inſtar arboris conſitæ juxta aquas:* quippe fructus dedit, & radices extendit. Quod ad primum corpus attinet, de
Ierem. 17. 6. eo fiet, uti ſcriptum legitur, *Et erit tanquam iuniperus in planicie, & non videbit cum venerit bonum:* bonum, ſcilicet, reſurrectionis mortuorum.) Facile liquet ex verbis iſtis, quæ fuerit veterum opinio. Ratio etiam pro hac opinione eſt: æquum, enim ac par eſt, ut corpus conſequatur iſtud bonum, quod promeruit vel bene agendo, vel ob delicta, & peccata ſua pœnas ferendo.

At

At magnus, & insignis ille Cabalista R. Isaak Loriensis paulo aliter quæstionem hanc solvit: sed supra dictam opinionem, quam in libro Zoar contineri diximus, hic sufficiat in medium attulisse, quia huic dubio satisfacit.

Cap. XIX.

Quæ sit resurrectionis causa finalis?

ULtima causa (etsi prima intentione, ac proinde nobilissima) est caussa finalis. Consentaneum itaque est, ad finem huic dissertationi imponendum, ut sciamus, quæ sit causa finalis tantæ, atque adeo miraculosæ resurrectionis. Quamvis sint, qui nefas esse existiment, ut inquiratur multum in finem hujus miraculi, ac Deo hoc totum committendum esse dicant: quemadmodum de miraculis a Mose editis, nemo prudentior quæret, quare virgam in serpentem converterit, vel cur non ex petra, & lapide fecerit avem aliquam, & id genus alia: nihilominus tamen eorum opinio non est appro-

probanda: sed rejicienda plane. Nam longe alia ratio est miraculorum a Mose editorum: illa enim facta sunt ad fidem, & autoritatem Mosi apud populum conciliandam: ac proinde de illis quæri non potest, quare hoc potius, quam illud fecerit? nam de quolibet eorum, quæ ab eo facta sint, illud quæri possit. At resurrectio mortuorum, cum sit tam singulare, atque admirabile opus, ut ea resuscitentur, & revivis cant illi, quorum nominis memoria jam ab aliquot centum, imo mille annis oblivioni tradita est, manifestum, ac certissimum est, id non futurum esse, nisi alicujus finis gratia. Quare operæ prætium erit, ut inqueramus, quis ille finis sit.

in 4. di. 44. quæst. 2. cor. 4. Thomas Aquinas existimat finem resurrectionis esse, ut detur animis quies ac tranquillitas: eam enim si homo consequatur, finem suum attingit, ob quem creatus, ac conditus est, & perfectissima felicitate perfunditur. Idque triplici ratione probat: Primo, quia anima rationalis est forma specifica hominis. Deinde quia anima rationalis est incorruptibilis. Tertio, quia ejusmodi forma non semper permansura est separata, & sejuncta a corpore. Hinc concludit animam aliquando corpori conjunctum iri. Alii aliter

aliter idem probant. Pars extra totum, seu separata a toto, inquiunt, est imperfectum quid. Anima vero rationalis, cum sit nobilissima forma, non manebit imperfecta; ergo non potest semper manere sejuncta ac separata a composito seu corpore. At Scotus, subtilissimus Doctor, alio argumento probat resurrectionem mortuorum. Sejunctio animæ a corpore, inquit, actus est violentus, quia naturaliter anima inclinat, ac propensa est, ad perficiendum corpus, seque cum illo uniendum; itaque naturali quadam vi, ac necessitate se junget rursus post mortem corpori, nempe in resurrectione mortuorum: quia, quod violentum est, non potest esse æternum, nec perpetuum. Sed cum hic videret, quam parum hæc argumenta ex natura petita valeant, ad probandam resurrectionem mortuorum, eo tandem devenit, ut diceret, eam non nisi per fidem haberi posse: qua in re optime, meo judicio, fecit: nam ejusmodi argumenta vix probabilia videntur esse, nedum apodictica: quod omnes etiam facile intellexere doctores scholastici. Quod ad Hebræos attinet, qui dicunt, animas omnes olim in principio rerum omnium creatarum creatas esse; ex eorum opinione certum est, quod quemadmodum aliquot centenis

Scot 4. dist. 14.

tenis annis animæ istæ felices ac beatæ fuerunt in glorioso isto suo statu, antequam informarent corpus: ita etiam post mortem tales esse possint, ac proinde opus non sit resurrectione mortuorum, qua corpori unitæ beatitudinem consequantur. Veniamus ergo ad alia argumenta.

Hebræorum prima ratio, quam adferunt pro fine resurrectionis est, ut detur via, ac modus quo homo perveniat ad ultimam sui perfectionem, quia vid. ad imaginem Dei factus est. Imago autem, & simulachrum Dei, est lex divina, per Mosem populo tradita: illa enim, uti Cabalistæ observant, plena est divinorum nominum. Vti igitur lex constat ex lege CCXLVIII præceptis affirmativis, & CCCLXV negativis: ita etiam tota corporis humani compages, constat ex CCXLVIII membris, & CCCLXV nervis. Quo non aliud indicari videtur, quam quod tota hominis perfectio, ac consummatio sita sit, in accurata, ac diligenti præceptorum observatione. In hoc ossium numero adsignando conveniunt Hippocrates, Galenus, Rasis, Avicenna, & Averroes, imò Medici omnes præstantissimi. Similiter Georgues Venetus in Harmonia sua Mundi, sequens Hebræorum opinionẽ, qui per additionem literæ, n

He

He ad nomẽ אברם Abrã nihil aliud significatũ dicunt, quam præcepta Legis 248 observanda esse, inducti hac ratione, quod juxta Hebræum calculum numerus iste efficiatur ex literis nominis istius. Cum igitur fieri non possit, quin homo partim ob materiam, ex qua conflatus est, in observanda lege aliquando cespitet, ac labatur, vel aliquid mali cogitet, juxta illud Iobi, *Memento quæso quod sicut lutum me fecisti*, & alibi, *Homo natus de muliere*, & illud Davidis, *& meminit, quod caro illi*: partim ob vitam breviorem, ut sufficiat, ad tot ac tam varia præcepta Legis præstanda: idcirco Deus pro sua erga eum misericordia, statuit ei dare, ac concedere alia quædam, eaque aptiora media, quibus adiutus perfectionem istam consequatur. Id est, constituit hominibus corpora largiri, non coalita ex conjunctione maris, & feminæ, quæ natura sua ad vitia, & turpitudinem sunt proclivia: sed ex terra facta, quale fuit Adami corpus; ut ita tanquam Dei creaturæ a Deo immediate creatæ aptiores & magis dispositæ essent ad bene agendum, ac gratia Dei, qua tum largissime perfundentur, ad totam legem ejus perfecte observandam.

Cabalistæ in libro Zoar valde celebrant

ac laudant hanc cauſam reſurrectionis mortuorum; uti ex his verbis non obſcure liquet אמר ר׳ אחא אותה הנשמה נכנסת בו בכל התשלומין והעליין שבה ממש ואתו הגוף ממש עתיד הקב״ה להעמידו בקיומו לעתיד לבוא אבל שניהם יהיו שלמים בתשלום הדעת להשיג מה שלא השיגו בעולם הזה

Paraſ. vayar Elau.

(R. Haha inquit, eadem anima redibit in idem corpus, cum omnibus perfectionibus, & excellentiis, quæ illi propriæ ſunt: nam idem corpus Deus efficiet, cum ſuſcitabit illud, firmum ac ſtabile in futuro ſeculo; ita ut utrumque quam maxime perfectum ſit futurum, ut præſtet illa, quæ hic præſtare non potuit.) Verborum mens, ac ſententia eſt, meo qualicunque tenui judicio. Etiamſi anima omnium quæ ante novit obliviſcatur, quando corpori ſe jungit; ſcientiaque ejus tota non ſit niſi mera quædam ante ſcitorum reminiſcentia ex Cabaliſtarum, ac Platonis opinione: nihilominus tamen aliter ſe habebit in reſurrectione mortuorum. Tum enim anima ſapientiſſima, & omnium rerum cognitione imbuta, ſine metu oblivionis eorum, quæ novit, conjungetur rurſus corpori, & perfectiſſimum illud efficiet perfecta ac continua omnium præceptorum obſervatione. Id ipſum confirmatur quoque ab iis, alio in loco, cum ajunt, אותו זמן ישגא החכמה בעולם וישיגו השגה מה שלא השיגו בזה העולם דתנן אמר רבי פנחס חשבית

Paraſ. Toldot Iſhac.

הנריקים לעתיד לבוא יותר ממלאכי השרת רכתיב כמים לים מכסים (Tum temporis augebitur in mundo ſcientia, ac tanta erit omnium rerum intelligentia, ut nullo modo mereatur comparari cum ea, quę in hoc mundo habetur. Nam intelligentia juſtorum, quæ futura eſt, uti legimus, inquit R. Pinhas, major erit, quam angelorum, juxta illud, *tanquam aquæ maria operientes.*) Atque *Ieſa. 11, 9.* hæc intelligentia, intimaque ac perfectiſſima rerum omnium cognitio, eſt epulum illud, de piſce Leviathan, de quo legitur in tractatu Baba Batra, quod Deus iſto tempore præparabit illis, qui optime, ac ſanctiſſimæ in terris vixere. Hæc eadẽ eſt fragrantiſſimum vinum illud conſervatum in uvis ſex dierum Bereſit ſive creationis, cujus mentio fit in Berachot. Quæ omnia non ſunt proprie, ſed metaphorice intelligenda; uti recte monemur in libro Zoar, Paraſat Toldot. Et quemadmodũ probe obſervatũ eſt a R. Gabay, in libro Abodat. a codes, per iſta, ac ſimilia, ſignificatur ſpiritualis animarũ oblectatio, voluptas, ac gaudium, quo in illo ſtatu potientur: ſicuti enim vinum hic hominum animos oblectare, & exhilarare ſolet: ſic etiam ſtatus ille ſpiritualis reſuſcitatos omni ac perpetuo gaudio perfundet. Sed de his Rabbinorum, & Talmudis allegoriis alias, ac ſeorſum ſingulari tra-

ctatu agere, mihi propositum est.

In Midras a Nehelan id ipsum comprobatur quoque ex LVIII Esaiæ, ubi ait: *Ducet te Dominus semper, & saturari faciet in siccitatibus animam tuam, & ossa tua inpinguabit, & eris velut hortus irriguus, & sicuti scaturigo aquarum, cujus deficiunt aquæ.* Id est, si elemosynam egenis dederis, & ea benignitate, ac benevolentia, qua oportet, homines paupertinæ sortis exceperis; Deus curam tui geret, neque te deseret in hac, neque in sequenti vita: quippe hic explebit animum tuum omnibus bonis, ut nihil opus sit te anxie solicitum esse de victu & amictu. In altera vero vita, ossa tua instaurabit, eaque carne vestiet, teque excitabit atq; expergefaciet in die resurrectionis. quo eris tanquam irriguus hortus, cui nulla penucia aquarum est. Id est, adeo expedito ac felici ingenio, multarũ rerum cognitione prædito erit, ut ex te instar fontis quælibet profundissimæ conceptiones ac meditationes fluxuræ sint. Ex quo conficitur, unum ex finibus resurrectionis mortuorum esse, ut homo majorem rerum cognitionem acquirat, & faciliorem, aptioremque viam, ac rationem, observandorum legis divinæ præceptorum, consequatur.

Cap.

Cap. XX.

De altera causa resurrectionis mortuorum.

R. Moses Gerundensis, & R. Hasday, aliique plures sapientissimi viri, observarunt aliã insuper causã resurrectionis mortuorum. Sic enim inquiunt, cũ anima & corpus simul virtuti, vel vitiis operam dederint, injustissimum foret, si anima sola in mundo animarum, pœnam vel præmiũ operum suorũ consequeretur: quare necesse est, ut denuo in resurrectione mortuorum in unum coalescant ac conjungantur. Sic tamen quemadmodum Daniel inquit, ut hic ad vitam æternam, ille ad pudorẽ & opprobrium suscitetur. Sed ut hoc melius intelligatur, cogitandum est, quod homo nõ semel, aut bis, ter, judicandus sit; juxta illud Iobi (eo enim respexisse videtur.) *Ecce omne illud operatur Deus tribus vicibus cum homine.* Primum judicium proprie ad solum corpus pertinet, & exercetur repetiturque quotannis ipsis calendis Tisri, qui respondet mensi Septembri. Tum enim condita est universi mundi machina (uti in Conciliatore & Problematibus nostris de creatione comprobavimus.) Quare par est, ut tum quoque quotannis de homine judicium fiat. Prçterea cum planetæ per id tempus influentiis, *Cap. 33.*

& Zyzygiis suis varios morbos & calamitates generant in mundo elementari: puta in genere, famem, pestem, corporis languorem & debilitatem, mortem, bella, & clades, &c. In specie vero, quę vel huic aut illi provincię, vel huic aut illi homini noxia sunt. Propterea ab Hebræis *dies judicii* appellatur. Quia vero ii, quibus Lex divina cordi est, ab ista syderum efficacia liberi sunt: hinc placuit Deo, ut ille dies festus a populo suo haberetur: & dicitur Num. cap. XXIX. dies Iubilæus, quia tunc tubis & buccinis clangebat populus: qui significabat bellum sibi esse cum affectibus, ad subjiciẽdum illos imperio rationis, vel ad excitandum sese, atque expergefaciendum oblivionis somnio. Atq; idcirco isti rei vitæ exequendæ constitutum erat spatium decem dierum: decimo vero die festum erat Expiationis peccatorum, quo peccata sua Deo confitebantur omnes illi, qui ea agnoscebant, & eorum seria pœnitentia ducebantur: alioqui subditi manebant imperio ac dominio planetarum eaq; illis infortunia exspectanda erant, quæ siderum aspectus denuntiabant.

Hujus primi judicii, quod ad corpus attinet, meminere antiqui, cum ajunt. Quatuor temporibus de mundo judicium fertur. Primum in Festo Paschatis super terræ proventibus.

Deinde

Deinde in festo Pentecostes, super fructibus arboris. Tertio in Ros a-sana seu principio anni, super omnibus rebus humanis. Quarto in festo Tabernaculorum, super aquis. Addunt vero etiam futurum, ut tres libri aperiantur in Ros a-sana, seu principio anni; primus perfectorum, qui sanctissime vixerunt; alter flagitiosorum, qui pessime vixerunt; tertius eorum, qui medium tenuerunt, & nec pessimam, neque optimam vitam duxerunt. Optimæ vitę homines, inquiunt, confestim scribuntur in libro vitæ; pessimæ vitæ homines in libro mortis; qui mediā vitam egere, illorum iudicium suspenditur, usque ad diem expiationis. Sunt homines quidam male feriati, qui rident hujusmodi antiquorū sententias, & quæ de libris istis dicuntur ad literam exigant. Cæterum si rem videant, nihil causæ est, quare ejusmodi antiquorum opiniones explodantur: nam plane eodem modo loquendi utuntur in suis explicationibus, quo Deus in Script. usus legitur. Sic in Mose legitur: *Si nō, dele me de libro tuo.* Simili phrasi utitur David. *Deleantur ex libro viventium.* Item Daniel: *Et libri sunt aperti.* Si itaque S. Scripturæ textus non est reprehendendus, nec illi quoque reprehendendi videntur, qui stylum scripturæ sequuntur: accommodant enim sese homini,

Exod. 32. 32.
Psal. 69. 29.
Cap 7. 10.

mini, qui rationes suas solẽt inscribere libris, eosque hac ratione commonitos voluerunt, coram Deo omnia manifesta atque in propatulo esse, quæcunque hic in terris a nobis fiunt, & quod factorum nostrorum accuratam quasi rationem ineat. Illud vero quod dicunt, *In album vel in librum vitæ aut mortis sunt relati*, ex opinione Gerundensis, intelligendum est, de vita esse felici, ac beata, vel misera, ac calamitosa, quæ est mors civilis. Ejusdẽ quoque diei meminerunt viri synagogæ magnę, in quadam sua oratione. *Hodie concepit mundus, hodie in judicio omnes creaturæ mundi constiterunt*. Atq; tale est judicium, quod ad corpus pertinet. Alterum judicium animæ est, quod eã post separationẽ a corpore manet, quod vel absoluta fertur in paradisum, vel damnata in tartarum detruditur, ut ibi peccatorum suorum pœnas luat. Hujus judicii variis in locis meminere veteres. De *R*. Iohanan BenZacay refertur, quod imminente fatali hora fleverit: rogatus causam a discipulis, responderit, duas se videre ante oculos suos vias; vidi unã, quæ recta ad infernũ; alteram, quæ in paradisum euntes ducat; & nescire se, qua ducendus sit. Quam plurima etiam commemorant de utraque hac via Cabalistæ per totum Zoar: uti etiam multis agitur de præmio,

mio & pœna animarum a corpore ſejunctarum. Neque gentilibus hæc res ignota fuit: quippe Homerus, Virgilius, aliiſque plures, optime totum illud de prẹmiis ac cruciatibus æternis Ixione ſuo, & Tantalo, Elyſiiſque campis adumbrarunt. Vidi quoque aliquem ex Hebræorum magiſtris, qui graphice id ipſum delineaverat. Ita nobiſcum comparatum eſt, ut nō ita facile ea capiamus, quẹ ab oculis hominum recondita ſunt, quam ſi eadem rudibus, ac craſſis lineamentis depicta ob oculos nobis proponantur. Interea tamē certiſſimum eſt, eos qui virtutis ſtudioſi fuerunt, felicem poſt hanc vitam ſtatum manere: ſicuti infelicē eos, qui vitiis animum tranſverſum egerunt: quam vis nos lateat, cujuſmodi pœna, aut præmium illud ſit futurum. Antiqui ajunt, quod prima ratio factorū, quam Deus ab animis in cœlis exigit, hæc eſt קבעת עתים לתורה נשאת ונתת באמונה (Impendiſti horas ſtudio legis, itē, negotia tua curaſti probe.) In eo volunt, ſitam eſſe obligationem, ac vinculum hominis cum Deo, & deinde hominis cum proximo. Atque tale eſt judicium animæ á corpore ſeparatæ.

Denique tertium judicium erit animæ & corporis, cum mortui reſurgent, atque illud magnum, & extremum judiciū dicitur, quo

universſus orbis terrarum judicabitur. De hoc veteres in Ros a-ſana loquuntur, cum ait. בית

שמאי אומרים שלשה כתות ליום הרין אחת של רשעים גמורים ואחת של בנוניים. צריקים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לחיי העולם הבא רשעים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לגיהנם שנאמר ורבים מישיני ארמת עפר הארץ יקיצו אלה לחיי עולם ואלה לחרפון ולדראון עולם בנוניים יורדין לגהינם ומצפצפין ועולין שנאמר והבאתי את השלישית באש ועליהם אמרה חנה יי ממית ומחיה מוריד שאול ויעל ובית הלל אומרים רב חסר מטה כלפי חסר ועליו אמר דוד אהבתי כי ישמע יי וכו׳ עד דלותי ולי יהושיע :

(Academia Samay inquit, quod tres hominũ claſſes atq; ordines judicandæ ſiſtentur: unus impiorum, ac peſſimorum, alter optimorum, tertius mediorum. Illi qui perfectiſſime juſti ſunt, ſine mora fruentur vita futuri ſeculi. Iſti qui plane mali atque improbi fuerint, confeſtim in infernum detrudentur; iuxta illud: *Multi ex dormientibus in terræ pulvere expergiſcentur; hi ad vitam æternam, illi ad pudorem & opprobrium æternum.* Intermedii deſcendẽt, & precabuntur, & hinc adſcendent, iuxta il-
Zechar. lud, *Et inducam tertiam partem per ignem.* Et
13.9. de his loquitur Hana, *Dominus occidit, & vitæ*
1. Sam. *reſtituit, facit deſcendere ad ſepulchrum, & facit*
2. 6. *adſcendere.* Cæterum Academia Hillelis ait, Deus eſt gratioſus, & propenſus ad miſeri-
Pſalm. cordiam; uti loquitur David, cum ait, *Dilexi,*
116. 1. *quoniam exaudiet Deus vocem deprecationum, &c.*

&c. usque ad. *attenuatus sum, & me servabit.*) Variis in locis præterea mentio fit huius iudicii. In Sanhedrin legitur, *Generatio diluvii non obtinebit partem in futuro seculo, neque consistent in judicio.* Sodomitis scriptum legitur, *Quod non sint futuri seculi participes futuri: sed duntaxat expergiscentur in extremo die judicii.* Item in Mechilta, *Quicunque sabbatum, sicuti oportet observaverit, a malis segregabitur, & eximetur a diebus Gog, & Magog, & laboribus Messiæ, uti etiam die magni judicii.* Et Samuelē aiunt, cum a Pythonissa suscitatus esse, existimasse se ad iudicium evocatum esse, ideoque attonitum dixisse, *Quid me irritasti, ut faceres adscendere me?* Denique ex multis aliis idem ostendi, & ex S. Scriptura comprobari possit: sed de hoc in tertio libro agemus. Vt itaque vestigia retro legamus, trium generum sunt iudicia; unum solius corporis in hoc mundo, alterum animæ tantum in animarum, tertium corporis, & animæ simul in resurrectione mortuorum. Hic æqua lance ac trutina cunctorum facta expendentur, & examinabuntur. Et multi isti boni probique, qui in hac vita sępe magnis miseriis, & infirmitatibus corporis obnoxii vixerunt, tum demū omnibus bonis istis, quibus hic caruerant cumulabuntur. Mali vero & improbi homines, qui instar

herbæ hic floruerunt, omnibusq; vitæ bonis, & deliciis abundarunt, expergiſcentur, & ad illud judicium reſurgent, quod denuntiat illis Eſaias, *Et ſaliet, & veniet in corporibus virorum, qui in me rebelles fuerunt, quia vermis eorum nō morietur, neque ignis eorum extinguetur*. Rationi etiam conſentaneum hoc eſt, & ab omnibus eſſe creditur: hinc Canoniſtæ dicunt, quicunque ſocii criminis, vel alicujus culpæ, meriti, aut demeriti, participes fuerunt, æquum & par eſt, ut ejuſdem quoque præmii vel pœnæ participes fiant.

Sapient. 1. 14. 7 de illicitis paragr. baucinius.

Cap. XXI.

De tertia cauſa reſurrectionis mortuorum.

PRæter has novam quoq; cauſam reſurrectionis mortuorum proponit doctiſſimus vir Iſac Abravanel, quæ neutiquam ſanè abſurda mihi videtur eſſe, & ante illum R. Ioſeph Albo, licet non acuratè adeo, ſed perfunctoriè potius. Eam hanc eſſe dicit: Reſurrectionis miraculum idcirco futurum eſſe, ut Dei potentia manifeſtetur, & veritas ejus, ab omnibus mundi incolis agnoſcatur, qui ineptarum opinionum & idolatrici cultus pleniſſimus erit. Nemo neſcit alios eſſe, qui negant dari primam & ſupremam aliquam cauſam; omnia-

omniaq; inferiora hæc, vi Solis, Lunæ, & syderum influentiis agi ac gubernari existimantis. Alios qui in dubiam vocant mundi creationẽ; Alios qui negant resurrectionem mortuorum futuram; Alios qui providentiã divinam, & id genus alia, ut certa & indubitata non admittunt. Nemo etiam infitias iverit, impostores, & prophetas falsos, quam plurimos fuisse, qui ejusmodi errores induxerint? Nec minus inter sapientes omni seculo fuisse, qui tanquam diaboli mancipia, autores fuerint tot sectarum & opinionum, quibus gloria ac majestas nominis divini non parũ profanata aut imminuta sit. Quæ via aut ratio alia dari potest, ut tam putidi errores exstirpentur, & ex animis hominum evellantur, & veritas ipsa cognoscatur, quam ut aliquando suscitentur iterum in singulis provinciis & civitatibus & resurgent autores fædissimarũ istarum opinionum, & publice cogantur suopte ore confiteri ac declarare, unde eas hauserint, & quo fine introduxerint. Quis vero etiam tum erit, qui si videat ex morte in vitã reductos parentes, fratres, filios, sapientes, prophetas, audiatque eos palam prædicantes ipsissimam Domini ac legis divinę veritatem, eaque quæ in altera vita gesta sunt enarrantes, non, quasi obstupefactus tanto miraculo, veri-

veritatem admissurus sit lubens volensque, eamque prono ac sincero animo amplexurus, deserturusque protinus omnes errores, falsasque & absurdas omnes opiniones: atque ita Deum ab omnibus terræ habitatoribus cognitumiri: & quanquā certum est, adventu Messiæ gloriosum Dei nomen exaltatum iri; tamen certum etiā esse, id non futurum cum tanta gloria ac magnificentia, quanta erit in resurrectione mortuorum, quoniam non est tantum miraculum; si Messias veniat subiugatum regna sibi atque imperia multa, cum nō raro accidisse videamus, ut humiles aliqui abjectique ad regna atque imperia pervenirent, terrarumq; multarum domini fuerint. At resurrectio mortuorum majus quid est, quoniam tum omnes gentes & nationes unanimi consensu unam religionem amplectentur. Et sicuti Zophonias ait, uni Deo servient, eundemque eodem cultu colent. Id ipsum quoque viri synagogæ magnæ in oratione quadā innuere voluerūt. על כן נקוה לך יי אלהינו לראות
מהרה בתפארת עזך להעביר גלולים מן הארץ לתקן עולם במלכות שדי
וכל בני בשר יקראו בשמך ויקבלו כלם את עול מלכותך כי המלכות שלך
היא (Idcirco in te speramus Domine Deus noster, ut videamus in pulchritudine fortitudinē tuam, ad omnem immunditiem & impuritatem delendam de superficie terræ, ad ordinan-

nandum mundum in regni ſaddai, ſeuDei omnipotentis,omneſq;filii terrę invocent nomen tuum, & jugum imperii ac dominii tui recipiant,quia tuum eſt regnum,&c.) R. Elhazar a Kuphar in Pirq; Abot id ipſum quoque confirmat hujuſcemodi verbis, הילודים למות והמתי׳ להחיות והחיים לידון לידע להודיע ולהודע שהוא אל הוא היוצר הוא הבורא (Qui naſcuntur, ut moriantur; qui moriuntur,ut reſurgant; qui vivunt, ut judicentur,ut diſcant, & ut doceant, doceanturque,quod ipſe eſtDeus,ipſe formator,ipſe creator.)Id eſt,quod reſuſcitati a mortuis diſcent, & mundum docebunt, vel quod erunt tanquam inſtrumenta,per quæ omnibus innoteſcetDeum eſſe formatorem & creatorem univerſi.Atque hæc quidem eſt tertia finalis cauſa reſurrectionis.

Cap. XXII.

Alia cauſa, præter ſuperiores proponitur, & ſecundus liber concluditur.

Ultimus denique & poſtremus finis, ex opinione Ariſba in commentariis Agadot,cui aſſentitur IſacAbravanel,eſt quia ſi iſti tantum,qui tum temporis vivent, ſalute ac liberatione Domini, & felicitate dierum Meſſiæ fruerentur, in juſtiſſime ſane cum multis ageretur. Enimvero cum tam multi ſint,

ſint, qui non modo patienter longiſſimæ captivitatis incommoda ac mala perpeſſi ſunt: verum etiam ſpe præmii ac mercedis, graviſſima religionis ergo ſupplicia ſubierunt, quæ ratio juſtitiæ foret ſi hi quoque die reſurrectionis mortuorum non ſuſcitarentur ad fruendum ſperato gaudio, & illius ævi beatitate. Deinde juſtitia etiam poſtulat, ut qui iſtos miſere adeo hic afflixerunt, & interim omnibus vitæ hujus deliciis ac voluptatibus ætatem tranſegerunt, non impune id omne ferant, ſed etiam ſuſcitentur ac reſurgant, ut in oculis eorum quos afflixerunt digna factis ſupplicia & pœnas meritas luant. Certe clare
Cap. 3. 6 ſatis id judicat futurum Ioel. *In diebus illis, & tempore illo, quo convertam captivitatem Iuda & Ieruſalaim; & congregabo omnes gentes, & deſcendere faciam eas in vallem Iehoſaphat, & judicium ſubibo cum illis ſuper populum meum, & hæreditatem meam Iſrael, quos diſperſerunt in gentes, & terram meam diviſerunt*. Similiter id ipſum teſtantur omnes prophetæ, præſertim Eſaias cap. XXVI. ubi ait, *Domine Deus noſter dominati ſunt nobis abſque te: tantum in te memorabimus nomen tuum. Mortui non reſurgent, defuncti non ſuſcitabuntur, propterea quod viſitaſti & diſtraxiſti eos, & deleviſti omnem memoriam eorum.* Id eſt, Quamvis Domine Deus

variis

variis regibus subjecti simus, eorumq; mandatis pareamus: nihilominus tamen nullis minis, vel suppliciis eo adduci potuimus, ut te desereremus, & idolis gentilium cultum religiosum exhiberemus: sed ad te conversi, nomen tuum semper celebravimus. Quare quid facies illis, qui nominis tui ergo capitis supplicia pertulerunt, num tales resurgent? num illi mortui suscitabuntur? Fortassis destruxisti illos, & memoriam illorum delevisti. *Addidisti genti Domine, addidisti genti, glorificasti te, extendisti omnes terminos terræ. Domine in angustia visitaverunt te, effuderunt orationem, correctio tua eis.* Id est, Domine Deus filiis Israelis videtur, quod deleveris, ac contra gentilium imperium usque ad fines terræ extenderis, quasi per illos gloriam nominis tui propagatam velis. Interim tamen, in afflictionibus ac calamitatibus suis, ad te precibus confugiunt, certo credentes hæc non forte fortuna, sed arbitrio tuo cuncta evenire. *Sicuti prægnans, cum appropinquat partui, dolet, clamat in doloribus suis: sic fuimus a facie tua Domine. Concepimus, doluimus, quasi peperimus spiritum sententum: salutes non factæ in terra, neque ceciderunt habitatores terræ.* Id est, miseria nostra longe peior est, atque parturientis feminæ: quippe illa tandem partu infantis sese consolatur:

latur: at nostræ calamitatis nullus est finis, quoniam nulla ratione a Domino terram sanctam liberari, neque inde principes terræ eiici atque expelli videmus. Hactenus propheta conquestus apud Dominum de calamitate ac miseria populi sui. Quare illi respondet Deus: *Vivent mortui tui, cadaver meum resurget, expergiscimini & præconia dicite habitatores pulveris, quia ros olerum ros tuus, & terra mortuos projiciet*. Id est, audivi querelam, quam instituisti pro captivis, & iis, qui nominis mei ergo suppliciis affecti sunt: ne dubites de illis, quasi resurrecturi non sint, neve cogites me illorum oblitum esse: nam mortui tui, qui in captivitate obierunt, & cadavera mea, cuiusmodi illi sunt, qui propter me vitam effuderunt, pariter cantabunt salutem ac liberationem Domini. Quia vero hoc omne futurum est, postquam Deus sese circa finem dierum, de omnibus gentibus vindicaverit, idcirco ait. *Vade popule mi, ingredere conclavia tua, & claude januam super te, & absconde te veluti paululum momentū, donec transeat ira. Quia ecce Dominus egrediens de loco suo, ad visitandā iniquitatem habitatoris terræ super eam, & revelabit terra sanguines suos, & operiet ultra super interfectos suos*. Id est, quanquam popule mi spem vestram diu morari videor: nihilominus

minus tamen bono animo estote, & tegite vos ab imminente periculo, donec ira mea deferbuerit: tandem feliciter omnia vobis cadent. Dominus enim constituit vindictam sumere de incolis terræ ob scelera & peccata quæ contra vos commiserunt: tum vero terra revelabit atque emittet sanguines suos, id est illos, qui in captivitate mortui sunt, & non amplius teget occisos istos martyres nominisque mei confessores, atque hoc in die resurrectionis mortuorum fiet. Nempe tum probi omnes ac pii, qui multis miseriis hic afflicti fuerint, digni certe meliore fortuna, omnis gaudii & deliciarum fient compotes: improbi vero & mali, qui delicate ac molliter hic ævum suum transegerunt, cruciabuntur ac gravissime punientur. Atque hæ sunt quatuor istæ causæ, propter quas tantum miraculum Deus editurus est. Hic ergo libri secundi finis esto.

Menaſſeh ben Iſrael,

LIBER TERTIUS,

DE

MVNDO EORVM,

QVI A MORTVIS

RESVRREXERVNT.

Amplissimo, Prudentissimo, Doctissimoque viro,

D. IOACHIMO WICKEFORTIO,

politioris literaturæ, & Antiquitatis Græcæ pariter ac Romanæ Studiosissimo.

QVanquam veteres omnes, & recentiores Hebræorum magistri, in hoc consentiant, eos, qui vitæ suæ rationes in terris Deo probaverunt, tum in mundo animarum post hanc vitam, tum in resurrectione mortuorum, præmio, ac mercede operum suorum coronandos esse: nihilominus tamen magna inter illos controversia superest, de dignitate, atque excellentia, beatitudinis, qua una alteri præstet. R. Moses Ægyptius, Platonicorum ferè vestigiis insistens, existimat illum statum esse felicissimum, quo anima soluta à corporis vinculis, post hanc vitam fruitur conspectu & præsentia Dei. Etenim cum statum illum, quo anima corpori conjuncta est, imperfectum esse credat; quia in eo debita

operibus merces ac præmium haberi non poteſt: æquun iuſtumque videtur, reſuſcitatos iterum mori, ut ad majorem & excellentiorem illum felicitatis gradum evehantur, quam in quo ante reſurrectionem poſiti erant: quoniam in ſecunda vita, melius vivendo majoribus præmiis digni videbantur. Sed plane contrarium ſentit R. Moſes Gerundenſis: cum enim partim anima, partim corpus concurrat ad operationes humanas, mutuaſque ſibi operas bene agendo præſtent, idcirco æquum eſſe ſtatuit, ut utrumque ſimul & conjunctim operum ſuorum præmio fruatur. Quare non plenum neque perfectum eum felicitatis gradum eſſe credit, quem anima in mundo animarum obtinet; quia ſocio, ac ſodali ſuo deſtituta eſt. Idcirco ex ipſius opinione poſt reſurrectionem mortuorum, cum anima libera ab omni cura & pœna, rurſus ſe corpori conjunxerit, homines aliquamdiu in terra abſque cibo & potu, inſtar Moſis & Eliæ, feliciſſime vivent, uſque dum cum anima & corpore ſimul, ad modum Hanochi & Eliæ in cœlũ tranſportentur. Atque hæc eſt ſumma ſententiæ, quam duo illi graviſſimi autores tuentur, Pro utraque ſententia mili-

tant

tant ſua argumenta. Pro opinione R. Moſis Ægyptii facit illud, quod quemadmodum animæ factæ ſunt in principio creationis mundi: ita etiam feliciter ac beate in cœlis perpetuo vivunt, donec deſcendant ad uniendum & conjungendum ſe corpori: ſed cum corporis ſubſtantia materialis ſit & diverſa ab animæ ſuſtantia, ideo in continua lucta ac contentione anima vivit: ut beata ac felix anima eſſe videatur, quando à vinculo & unione illa liberata eſt. Verum ſententiæ R. Moſis Gerundenſis illud favet, quod ideo Deus videatur animam mittere in hunc mundum, ad informandum corpus: ut ea ratione ad meliorem & præſtantiorem vitæ gradum perveniat: alioquin magnæ inclementiæ videtur fore, ſi ita ex beatitudinis ſuæ gradu deturbaretur. Id ipſum etiam patet ex appetitu, & deſiderio, quod anima erga corpus habet. Videmus enim, quam ægre & difficulter anima à corpore avellatur, ubi decretoria mortis hora venit. Et quod primarium eſt, Deus ſuo tempore corruptum & in pulverem, aut diu redu-ductum reſuſcitabit, ut præmio operum ſuorum fruatur. Ex quo apparet eam demũ perfectam vitam & ſolidum atque con-

summatum gaudium fore, quo anima potietur, quando conjuncta erit corpori. Et certe, si dicendum est, id quod res est, salva tamen aliorum sententia, ego longe probabiliorem Gerundensis opinionem esse judico. Nam si anima in mundo animarum perfecta, ac solida beatitudine perfruitur, quare secundò in hunc mundum redibit? quippe sapientissimus Deus nihil facit frustra. Præterea cũ corpus materiale, & in vitia ac peccata proclive sit, ideo certum est, ab illis omnibus, quo ductu & imperio rationis appetitum concupiscibilem & irascibilem domuerunt, naturam corporis castigatam, & ad melius temperamentum reductam esse: quippe eo pacto spirituale, & ab omni fece, atque immunditie purum corpus præstiterunt. Quæ cum ita sint, approbata posteriori sententia, in hac tertia operis nostri parte demonstrabimus omnes homines, post resurrectionem mortuorum, instar Hanochi & Eliæ translatum iri in beatissimas sedes, ac felicissimum vitæ statum, cui nulla humana & temporalis beatitudo possit comparari. Egimus præterea in præsenti opere, de ultimo iudicii die, & instauratione mundi: & ut unicuique notum sit, quid super eo sapien-

ſapientes noſtri ſtatuerint ; ideo quam diligentiſſime veterum monumenta perluſtravi, eorumque placita & opiniones fideliter ſcripto conſignavi : nec alio fine, aut animo, quam ut ſincere & candide Hebræorum judicia ſuper hac re exponerem. A te, WICKEFORTI doctiſſime & humaniſſime, peto, uti hunc in re ſacra impenſum laborem benignè excipias. Eget fœtus hic noſter tutela & patrocinio bonorum, inter quos non es poſtremus. Ea es doctrina, ut judicare de his optimè poſſis. Ea pietate, ut non ægre ſis laturus, etiam illam doctrinam à me aſſeri, quam communem habemus. Nec enim non reſurgere amãt omnes, qui Deum Abrahami, Iſaaci, & Iacobi piis animis venerantur. Ea quoque tua eſt & æquitas & humanitas, ut diſtinguere noris amicitiæ, qua mutuum obligantur homines, officia, à religionis diverſæ profeſſione. Si non idem in omnibus ſentimus, quid vetat ſingulos ſuo abundare ſenſu, & Deo probare conſcientiam, nec minus iis omnibus benè velle, qui nullis volunt male? Vbi à ſtudiis, & quotidianis negotiis reſpirare tibi dabitur, ſecede in Patrum noſtrorum placita, quibus ſi in omnibus aſſentiri non potes, talia ta-

men sunt, ut majore scientia perficere intellectum, & veritatis priscæ studiosum recreare queant. Non utar operoso sermone, ut Humanitati tuæ foris domique notæ commendem & opusculum hoc & autorem. Non potes non ultrò aut laudare aut excusare factum meum, qui probitatem & virtutem etiam in aliis, quam amicis, probare & exosculari consuevisti.

Vale Vir doctissime & humanissime.

Tui observantissimus

MENASSEH BEN-ISRAEL.

Amstelodami XXVI. Febr.
An. CIƆ IƆ CXXXVI.

SERIES CAPITUM LIBRI TERTII.

Menasseh ben Israel,

LIBER III.

De
Mundo eorum, qui a mortuis Resurrexerunt.

Cap. I.

Quid per עולם הבא *mundum venturum intelligatur.*

SOLIS Prophetis datum est certo prædicere futura: cæteris non nisi per conjecturas. Quare cum in præcedentibus libris pro virili nostra adstruxerimus resurrectionem mortuorum, & de qualitatibus ac conditionibus ejus egerimus: tempus est, ut, quod restat, breviter hoc libro expediamus, & de mundo seu seculo resurrectionis futuro ejusque conditione nonnulla disseramus. Vt autem methodice procedamus, expendemus primo loco, an hic mundus, idem ille sit, quem anti-

qui vocarunt (עולם הבא) mundum futurum; an vero alius mundus sit futurus. Super hac quæstione, olim inter R. Mosem Ægyptium, & R. Mosem Gerundensem dissensio fuit. Nam prior arbitratus est futurum mundum esse eum animarum, in quem recipiuntur animæ, postquam per mortem a corpore separatæ sunt; ita enim ait, העולם הבא אין בו גוף וגויה אלא נפשות הצדיקים בלבד בלא גוף (Mundi futuri, corpus nullum particeps erit: tantum animæ piorum a corpore separatæ in eum ingredientur.) Idem alibi testatur, mundum futurum, non esse mundum istum qui post hunc sequetur: sed illum, in quem quisque post mortem recipitur. Gerundensis longe aliter sentit: nam mundum futurum vult eum esse, qui erit, post resurrectionem mortuorum. In quem, uti quidem ipse censet, omnes qui probe, pie, atque honeste vixerunt, resuscitati introducentur animaque simul ac corpore, absque fine atque indesinenter, mercede ac præmio operum suorum fruentur. R. Ioseph Albo animadvertens quibus uterque opinionem suam rationibus & potissimum qua autoritate veterum tueretur, conatus est, eos hunc in modum conciliare, verba illa (עולם הבא) mundum futurum, exponi duobus modis possent; modo

Halahot tesuba c. 8.

Hicarim li. 4. cap. 13.

de

de mundo animarum, in quem animæ post hanc vitam recipiuntur; modo de mundo, seu seculo quod resurrectionem mortuorum proxime sequuturum est. Ad hanc sententiam comprobandam, adducit quædam ex veterum scriptis loca, inter quæ insignis ac valde illustris est ille locus, qui exstat in precatione, quam viri Synagogæ magnæ composuerunt: cujus hæc sunt verba אין ערוך לך יי אלהינו בעולם הזה אין זולתך מלכנו לחיי העולם הבא אפס בלתך גואלינו לימות המשיח ומי דומה לך מושיענו לתחית המתים (Nulla est proportio tecum in hoc mundo, Domine Deus noster, neque præter te rex noster ullus est in vita futuri seculi, neque præter te ullus erit redemptor noster in diebus Messię, neque tibi similis est salvator noster in resurrectione mortuorum.) Hic quatuor temporum mentionem fieri videmus: in quibus accipitur præmium operum. Nam quibusdam præmium istud datur in hoc mundo, quia bona quædam opera fecerunt, sed eo fine, ut ea deinde perficiant ac compleant in mundo animarum. Quibusdam, quorum majora fuerunt merita, datur præmium ac merces in utroque mundo. Quibusdam, quorum multo maxima fuerunt merita, dabitur frui etiam seculo Messię, & resurrectionis. His omnibus concessis; si ordine gradu & loco secundo

 po-

ponunt (עלם הבא), mundum futurum, necesse utique est, ut secundus mundus sit mundus animarum; reliqui vero duo, qui sequuntur, sint mundus Messiæ, & resurrectionis mortuorum. Atque hoc facit pro opinione R. Mosis Ægyptii confirmanda. Verum pro R. Mose Gerundense facit illud, quod ante de tribus classibus seu triplici hominum genere, diximus, qui comparituri sunt coram Deo extremi judicii die, inter quos perfecti sive qui sanctissime ac justissime vixerunt, primo loco ponuntur, qui sine mora recipientur in vitam futuri mundi, seu seculi, quod non potest esse aliud quã seculum resurrectionis mortuorum. Atque hoc efficaciter etiam probat illustris ille locus, qui legitur in tractatu Sanhedrin, ubi dicitur, quod nemo eorum, qui negat resurrectionem, futuri seculi particeps sit futurus: & ratio additur, quare non sit futurus particeps, nempe hæc,

הוא כפר בתחית המתים לפיכך לא יהיה לו חלק בתחית המתים

(Quicunque negat resurrectionem mortuorum, hoc ipso quod eam negat, non erit particeps resurrectionis.) R. Ioseph Albo itaque, cum videret verba illa duplex tempus ac seculum significare, existimavit, admissa duplici illa significatione, facile eos, uti diximus, conciliari posse.

R. Abra-

R. Abraham Bibag in libro suo Derech Emuna li.3.portam 4.ex aliquot locis Sacræ Scripturę probat, horam resurrectionis mortuorum, & continuam ac perpetuam vitam, quæ postea sequetur, dici etiam mundum futurum: nam quanquam sæpenumero idem nomen tribuitur mundo animarum: nihilominus tamen proprie, & rectius applicatur mundus resurrectionis mortuorũ. In Beresit Raba Paras. 35. refert, quod Artabanus rex Persiæ, ad Rabenu Sanctum, sive R. Ieuda principem, & amicum suum apprime sibi carum, pretiosissimam gemmam miserit: quo Rabenu accepto, ut gratum animum ostenderet, remisit regi *Mezuza* (erat initium cap. 4. Deut. ubi dicitur, Audi Israel, Dominus noster Deus, Dominus unus, &c.) sive membranam aliquam, quam ponunt Hebræi, seu potius affigunt postibus ædium. Cum autem Artabanus membranam illam haud ita magni faceret, quasi nullo modo cum suo dono comparandam, & membranula solum videretur, nuntiari illi jussit Rabenu, donum suum longe majus, atque excellentius regis gemma esse: quoniam gemmæ opus erat custode, qui eam servaret: *Mezuza* vero non item, quandoquidem hæc Dominum servat, ac tuetur a

pluribus incommodis; idque confirmavit verbis sapientis. *In ambulando deducet te, in jacendo custodiet te, & cum expergefactus fueris ipsa alloquetur te.* Explicuere hæc hunc in modum. בהתהלכך תנחה אותך בעולם הזה בשכבך תשמור עליך בשעת המיתה והקיצות היא תשיחך לעולם הבא (*In ambulando te deducet*, id est, in hoc mundo; *cum jacebis custodiet te*, id est, cum sepultus in sepulchro jacebis ac requiesces; *& quando expergisceris alloquetur illa te*, id est, in mundo futuro) Cum juxta Danielem mortui resurgent. Vt explicatius dicam, verborum mens est, legem illam, quam regi miserat in pergameno scriptam, homines ducere in hac vita (quoniam solum lumen naturæ non sufficit) & servire cuivis in mundo animarum, ac resurrectionis mortuorum: etenim in uno conservat animam solam, in altero animam & corpus simul. Itaque ex his manifestum fit, quod per mundum futurum, intelligatur seculum resurrectionis mortuorum. Insuper ratio id ipsum quoque testatur: nam primo status animarum, in quo sunt, postquam ex corpore migrarunt, non potest ita absolute dici mundus futurus, uti seculum resurrectionis mortuorum, quæ universalis atque omnibus communis erit. Deinde ubi mortui suscitabuntur, tum de-

Prover. 6.21.

n.um

mum incipiet novus mundus; uti in sequentibus ostendemus. Nam juxta R. Natan in Aruch, totius mundi machinæ eversio, ac destructio præcedet resurrectionem mortuorum. Vel tum omnia, quæ creata sunt, instaurabuntur ac reformabuntur. Cæterum, ut finiam, per mundum futurum liquet ex his omnibus, intelligi proprie resurrectionem mortuorum: quod si quandoque sumatur pro mundo animarum, hoc tantum fit distinctionis gratia, quando sermo est de Messia, aut resurrectione mortuorum; uti in precatione illa a viris Synagogæ magnæ composita, quam ante citavimus. Itaque tres sunt opiniones de futuro mundo. Prima vult, esse mundum animarum: altera seculum illud, quod sequetur resurrectionem mortuorum: tertia autem statuit ab ipsa hora resurrectionis incipere mundum futurum. Atque hæc nobis sententia verisimillima esse videtur.

Cap. II.

Quod resurrectio mortuorum conjuncta erit diebus Messiæ.

NOn tantum ex libris Mosaicis, verum etiam propheticis, constat, resurrectionem mortuorum conjunctam & annexam fore

confluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent, Agite & adſcendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis ſuis, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hæreſolymis. Et judicabit inter gentes, & arguet populos multos, & contundent gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, & non diſcent ultra bellum. Docet hic Propheta, non tantum bona temporalia; ſed etiam ſpiritualia hominibus obventura, quando Meſſias veniet. Nam tunc omnes gentes unanimi conſenſu (quemadmodum etiam a Zephania futurum prædicitur) Deo Iacobi, & Iſaaci adhærentes, ejuſque doctrinam amplectentes, uno & eodem cultu ei ſervient. Tunc omnes quieta, tranquilla, ac feliciſſima vita fruentur, quoniam nullo armorum ſtrepitu terra infeſtabitur, ceſſabuntque bella, quæ antea ob diſſenſionem de religione fortiter diuque geri ſolebant. Ceſſante enim cauſa ceſſat effectus. Poſtquam igitur Eſaias egit de tempore Meſſiæ, mox procedit ad ea, quæ conſequutura ſunt, ſcilicet ad judicium extremum, & reſurrectionem mortuorum.

Nam

Nam inquit dies Domini ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem elatum, & humiliabit ſe, & ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & elevatas, & ſuper omnes quercus Baſan. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles elevatos. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum. Et ſuper omnes naues Tarſis, & ſuper omnes proſpecturas deſiderii. Et incurvabit ſe elatio hominis, & humiliabit ſe altitudo hominum. Et elevabitur Dominus ſoluſque ipſe in die illa, & idola penitus concidet, &c. Non dubium eſt, uti in ſequentibus demonſtrabimus, quin per (יום ה') diem Domini, propheta intelligat diem judicii, qui aliter dicitur, dies reſurrectionis mortuorum: nam tum vivi, & a mortuis reſuſcitati conſiſtentes ante tribunal Dei judicabuntur; & quia dies ille terribilis, atque admirabilis erit, ideo vocatur dies Domini: quippe omnia illa, quæ tum fient, non erunt ordinaria, & naturalia: ſed ſupernaturalia, & miraculorum pleniſſima. Tunc nihil principibus & regibus orbis terrarum proderit gloria ſua & majeſtas: nam qui reliquis vulgaribus hominibus comparati, ſunt inſtar collium & montium, humiliabuntur, ac dejicientur in terram. Non illos tutabuntur urbes, mœnia, arces, & magnis ſumptibus,

bus, atque exquisita arte exstructa palatia. Non mari, non terra iis patebit effugium. Neque idola, quæ adorarunt, eos quicquam juvare poterunt: nam solus Deus tum exaltabitur, & cum idolis suis idololatræ peribunt, atque ita quilibet projiciet manu sua a se idola sua ut abscondat se ab ira Domini. Ergo eodem tempore, quo Messias veniet, etiam mortui resurgent.

III. Tertius locus exstat cap. XXIII. ubi prædicit propheta generalem omnium gentium eversionem, & quia pusillum tantum earum reliquum mansurum est, idcirco idem tum futurum ait, ac si quis oleam excutiat, seu agitando commoveat, ut videat, an quid olivarum reliquum sit in arbore. Nam qui ex gentibus relinquentur, ii racemorum instar erunt, qui post vindemiam restant mox sequitur. *Hi elevabunt vocem suam, & dicent præconia in excellentia Domini, vocem efferent a mari. Ideo in vallibus glorificate Dominum, in insulis maris nomen Domini Dei Israel.* Id est, omnes illi, qui remanebunt, vera fide imbuentur, & divinitatem ejus amplectentur, glorificantes altitudinem ejus, quæ est redemptio ac liberatio futura. Hoc ipsum deinde explicans, & aliquanto manifestius ob oculos ponere volens, enarrat mox illa, quæ

illi diei conjuncta erunt, atque inquit: *Ab alia terra cantus audivimus, gloriam justi, & dixi; infirmitas eſt mihi, infirmitas eſt mihi, væ mihi, prævaricantes prævaricanti ſunt, & prævaricatione prævaricantes prævaricati ſunt formido, & fovea, & laqueus, ſuper te habitator terræ. Et erit fugiens a voce formidinis, cadet in foveam, & adſcendens de medio foveæ capietur in laqueo, quia cataractæ de excelſo aperientur, & contremiſcent fundamenta terræ. Confringendo confregit ſe terra, diſſipando diſſipavit ſe terra, nutando excuſſit ſe terra.* Non eſt abſimile a vero, his verbis ſignificari reſurrectionem. Addit vero hic Eſaias, quid gentes dicturæ ſint, ubi legem Dei receperint: nempe מכנף הארץ Vocabulum כנף juxta R. Moſem Ægyptium, idem valet, atque הסתר id eſt latibulum, ſive ocultum. Nationes ergo gentium dicent, Ex occultis terræ, ex interioribus terræ, id eſt ab iis qui ex terra reſuſcitati ſunt, audivimus decus & gloriam juſti, id eſt, veram fidem, & religionem, quam viventibus annuntiabant. Ac tum unuſquiſque erumpet in has lamentabiles voces, infirma ac debili fide hactenus nixus ſum, hei mihi, quod perfidi & prævaricatores illi, ſcilicet impoſtores, & falſi ſapientes prævaricati ſunt, & prævaricatione,

ac

ac perfidia sua ejusdem criminis alios reos fecerint. Proinde indubium ac certum est, quod formido, fovea, & laqueus super incolas terræ erit, & qui evadit ex uno malo, incisurus sit in aliud; qui non luerit pœnam in hoc mundo, in mundo animarum luiturus sit; qui vero etiam neque tum punitus satis fuerit, is extremi judicii die, sive die resurrectionis mortuorum decisurus sit in laqueum: nam tum aperientur fenestræ cæli, ut pluat inde ros, ac terra nutabit, ejusque partes huc illucque dissipabuntur, quoniam sepulchra aperientur, ut inde cadavera exeant, ac resurgant. Ex his itaque apparet etiam, quod resurrectio mortuorum conjuncta erit cum liberatione populi Israelitici.

IV. Illustris etiam locus est apud Esaiam cap. xlix. ubi hunc in modum loquitur Propheta; *Dixitque Sion, dereliquit me Dominus, oblitus est mei. Nunquid obliviscetur mulier infantis sui, ut non misereatur filii uteri sui? Etiam istæ obliviscantur, at ego non obliviscar tui. Ecce super volis exaravi te, muri tui coram me semper. Festinaverunt structores tui, demolientes te, & destruentes te, a te exibunt, Leva circum oculos tuos, & vide, omnes isti congregaverunt se, venerunt tibi, vivens ego,*

dixit Dominus, Quia omnibus his, ut ornamento vesties te, & ligabis eos tanquam sponsa. Quia deserta tua, & solitudines tuæ, et terra destructionis tuæ: nam nunc arcta erit ab incola, et elongabunt se absorbentes te. Adhuc dicent in auribus tuis filii orbitatum tuarum, angustus est mihi locus, accede mihi et habitabo. Et dices in corde tuo, quis genuit mihi istos, et ego orbata, et solitaria, et demigrans, et recedens, et istos quis educavit? An ego remansi sola ego, isti ubi ipsi? &c. Captivitas prolongata est, & jam tot annos duravit, ut diffidens ferme dicat Sion, *dereliquit me Dominus*: neque enim misericordiæ suæ oculo ad me respicit, plane oblitus mei videtur. Ad hæc respondens Dominus ait, citius mater infantis, ac liberorum suorum obliviscetur, quam ego obliviscar Sionis, quanquam aliquamdiu derelicta fuerit. Itaque prosequitur in demonstrando affectu atque amore suo erga Sionem, & docet, quomodo non ipse, sed filii fuerint tantorum malorum causa. Ideo ait, *Ecce super palmas exaravi te.* Pono te mihi tanquam signum ob oculos, ut non obliviscar tui, & me perpetuo habeo muros tuos. At filii tui, ô Sion! repente tui profecto obliti sunt. Illi, qui te destruxerunt, ex te prodierunt. Attende ad illa, quæ referuntur a Flavio Iosepho,

Iosepho, & comperies omnia verissima esse. Prosequitur hinc verba sua Dominus, dicens, istud jam præteriit: sed tolle oculos tuos, & ecce nunc, filii tui congregabuntur tibi, & tanto numero ad te confluent, ut ob multitudinem habitatorum locus nimis angustus futurus sit: sed tamen ab eo nihil erit periculi: nam inimici tui longissime a te recedent. Et quia ingens illa multitudo existet ex turba resuscitatorum, qui ex omnibus mundi plagis confluent ad te (juxta id quod ait Ezechiel, *Ecce ego aperiam sepulchra vestra popule mi, & faciam adscendere vos in terram vestram.*) hinc est quod Esaias Sionem loquentem faciat his verbis. Quis illos mihi peperit? obstupefacta scilicet, quod videat eos tot ac tātos e terra enatos, & præstantissima forma ac statura præditos, quis inquiet illos educavit? Et cum in intimis terræ visceribus eo usque absconditi fuerint, quæret ac dicet, ubi isti antea fuerunt? Hinc itaque facile liquet, resurrectionem mortuorum annexam ac conjunctam fore diebus Messiæ.

V. Ex libris Hagiographis idem quoque confirmari potest. Hic enim Psalmista, agens de adventu Messiæ, & felicitate ejus seculi, ait, *Efflorescent de civitate, tanquam herba,* *Psal. 72.*

ex terra. Quod intelligendum de illis est, qui a mortuis suscitabuntur, uti cap. tertio libri primi ostensum est.

VI. Daniel circa finem libri sui agens de bello, quod erit inter regem Austri & Septentrionis, & de angustia istius temporis, ait, *Illo tempore liberabitur ex populo tuo, quicunque invenietur scriptus in libro.* Et nequis existimaret aliquis, quod ista beatitudine soli ii qui superstites ac vivi tum erunt, essent fruituri, ideo mox addit, *Multi ex dormientibus in terræ pulvere expergiscentur, &c.* Et nonnulli quidem ut præmium & mercedem operum suorum consequantur, nonnulli vero ut puniantur, & suppliciis meritis culpas suas eluant.

Hactenus ostensum a nobis est, & autoritate Sacræ Scripturæ comprobatum, quod resurrectio mortuorum conjuncta erit adventui Messiæ; nunc solum restat probandum, veteres in eadem quoque opinione fuisse. Notandum autem est, rationem quam dāt, cur Patriarchæ tantopere desideraverint, in terra sancta sepeli, non aliam esse, quam hanc (uti in Beresit Raba legitur) quod qui ibi sepulti sunt, primi resurgent, & seculo Messiæ fruentur. Ex quo infertur, resurrectionem mortuorum, & adventum Messiæ simul

Paras. 74 et 96 et Semot R. Par. 32.

ſimul futura eſſe aut conjuncta ſibi. Id ipſum quoque legitur in Ieruſalmy de Kilaym: atque ita Semuel loquitur in Gemarah de Berahot אין בין העולם הזה לימות המשיח אלא שעבור מלכיות בלבד (Non differt hic mundus, ſive ſeculum a diebus Meſſiæ, niſi ſola ſubjectione regnum.) Forte quis ex hoc colligat, tum non fore reſurrectionem. Sed iſtud intelligendum eſt de ſpatio, ac intervallo, quod inter utrumque tempus erit: quia iſto ſpatio durante, nulla erit differentia ab hoc mundo, niſi quod interea regna & imperia poteſtati Iſraelitarum ſubdentur. Quare hoc non obſtat, quo minus credi poſſit, ſeculum unum alterum proxime ſubſequuturum eſſe.

In Zoar manifeſte, ac diſerte expreſſum legitur, הקב״ה יבנה בית מקדשא בקדמיתא ויתקין היכלא ויבנה קרתא ולבתר יקים ליה מעפרא (Deus benedictus primo ædificabit templum, & ordinabit ac diſponet palatium, urbemque ædificabit, & deinde mortui ex pulvere terræ ſuſcitabuntur.) Cabaliſtæ iſtam ſuam ſententiam Pſalmiſtæ verbis adſtruunt. *Ædificans Ieruſalaim Dominus expulſos Iſrael congregabit. Sanans contritos corde, & alligans dolores eorum.* Id eſt, primo exſtruetur templum, deinde in illud omnis Iſrael congregabitur, ex quatuor mundi plagis. Denique ubi omnes ſuſcitati

Paraſ. vayera elav.

Pſal. 147.

citati erunt vitia corporum omnium resuscitatorum tollentur, ac sanabuntur, sive mala illa, quæ per tormenta, & supplicia inflicta fuerant corporibus, curabuntur. Ac tum se mutuo quoque omnes recognoscent. Ex eo liquet, quod priori seculo secundum immediate succedet. Cæterum dignum est, ut expendatur, quantum temporis spatium inter utrumque seculum intersuturum sit. Non videtur hoc quidem ratione humana colligi aut definiri posse: attamen veteres conjectando aliquid dixisse videntur; ideoque lubet ea, quæ illi excogitarunt, in medium adferre. In Sanhedrin cap. 11. variæ opiniones proponuntur. R. Elihezer facit spatium illud intermedium cccc. annorum. *R.* Elhazar ben Hazaria lxx. annorum. R. Elhazar xl. *R*abbi vult tribus generationibus constare. Dissentiunt hic quidem omnes; neque tamen existimandum est, eos temere aut sine caussa hæc statuisse: Enimvero R. Elihezer juxta annos captivitatis, ac servitutis Ægyptiacæ computat spatium cccc. annorum. R. Elhazar ben Hazariah lxx. juxta annos captivitatis Babylonicæ. R. Elhazar xl. juxta annos peregrinationis in deserto. Omnes autem ad confirmandam opinionem suam adducant illud ex Psalmo xc. xv. *Lætifica nos, juxta dies*

afflixisti

afflixisti nos: annos vidimus malum. In Midras a Nehelam ſcriptum comperimus, חנן מ׳ שנה קודמין קבוץ גליות לתחית המתים (Legimus, quod quadraginta annos congregatio captivorum anticipabit reſurrectionem mortuorum.) Si poſtrema hæc opinio accepta, ac tradita a majoribus eſt, admitti ſanè poteſt, quia non implicat contradictionem, neque quicquam difficultatis in ea eſt. *Paraſ. Toldot.*

Cap. III.

An inter iſta dicta tempora, futurus ſit finis mundi: an poſt reſurrectionem mortuorum?

EX iis, quæ ſuperiori capite dicta nobis ſunt, facile hoc dubium ſolvi poteſt. Nam quando Sacra Scriptura tractat de diebus Meſſiæ, ſemper illud tempus vocat אחרית הימים finem dierum. Sic Iacobus patriarcha, cum convocaret filios, ut prædiceret iis, quæ conſecuturis diebus eventura eſſent, ait, האספו ואגידה לכם את אשר יקרא אתכם באחרית הימים (*Congregate vos, & nuntiabo vobis illud, quod futurum eſt in fine dierum.*) Ad quæ R. Moſes Gerundenſis commentans ait. כל מקום שנאמר בו באחרית הימים הוא לימות המשיח (Vbicunque dicitur de fine dierum, hoc intelligendum eſt de diebus Meſſiæ.) Voluit hic Iacobus præ- *Gen. 49.*

dicere filiis suis, quæ eventura erant, in diebus Messiæ: sed Deus inhibuit illum, ac proinde nihil de illo tempore dixit. Similiter
Num. 24. 14. quoque Bileam ait. *Ito consulam tibi quid populus iste facturus est populo tuo in novissimo seu fine dierum.* Et agens de Messia ait: *Videbo eum, & non nunc; intuebor eum, & non prope. Incessit stella ex Iacobo, & surget virga ex Israel, & transfiget angulos Moab, & destruet omnes filios Set.* Nota tempus illud vocari ab illo finis dierum: ideo dicit, *video illud & non prope.* Deinde cum dicat, *destruet filios Set*, id est, totius mundi habitatores, ex eo apparet, illud de Messia intelligendum esse. Postquam Moses in Deuteronomio recensuit omnes maledictiones, omniaque mala Israelitis eventura, si quando præcepta Domini non observassent, qualia sunt calamitates illæ, quibus a Nebucadnezare, & Tito Vespasiano affecti sunt (res etiam semidoctis nota) tandem consolans rursus populum, ait, quod Dominus Deus eos redimet, & reducet sicuti ante in terras suas. Et Cap. IV. eadem de re agens, inquit, *In angustia tua, & invenient te omnia verba ista in novissimo dierum, & reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies in voce ejus. Quia Deus misericors Dominus Deus tuus, non debilitabit, &*

non

non corrumpet te, neque obliviſcetur pacti patrum tuorum, quod juravit eis. Item Eſaias ait. *Et erit, in fine dierum præparatus erit mons domus Domini, &c.* Ieremias agens de felicitate Iſraelis, & vindicta Dei, quam ſumet de impiis, inquit, *In noviſsimo dierum intelligetis illud, in tempore illo, dixit Dominus, ero in Deum univerſis familiis Iſrael, & ipſi erunt mihi in populum.* Ezechiel prædicens de Gog & Magog, quod in terram Iſraelis irruent, ait, *Et aſcendes ſuper populum meum Iſrael, ſicut nubes ad operiendum terram, in noviſsimis diebus eris, & faciam venire te ſuper terram meam, ut ſciant gentes me, cum ſanctificavero me, in te in oculis eorum o Gog.* Oſeas inquit, *Dies multos remanebunt filii Iſrael, abſque rege, & abſque principe, & abſque ſacrificio, & abſque ſtatua, & ſine Ephod, et Teraphim. Poſtea revertentur filii Iſrael, et quærent Dominum Deum ſuum, et David regem ſuum, et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in noviſsimo dierum.* Item Micha, Cap. 4. 1. *Et erit in noviſsimo dierum, erit mons domus Domini præparatus.* Eadem phraſi ac modo loquendi etiam Eſaias uſus eſt. Apud Danielem angelus ait, *Et veni ut intelli-*

Cap. 2. 2

Cap. 30, 24. et 31. 1.

Cap 38. 16.

Cap. 3. 4

Cap. 10. *telligere facerem te, quod eventurum est populo*
14. *tuo, in novissimo dierum.* Quia vero redemptio, ac liberatio populi, tam diu differenda erat, Sion conquerens ait, *Dereliquit me Dominus, & Deus oblitus est mei.* David psalmo lxxxix. vehementer admodum conqueritur apud Deum, revocans ei quasi in memoriam pactum ac fœdus, obnixeque orans, ne irritum illud faciat, neque misericordiam suam subtrahat populo suo, tanquam si ejus videretur oblitus esse: hostes contra atque inimicos ejus amare ac diligere: denique ait. *Vbi misericordiæ tuæ antiquæ Domine? Iurasti Davidi in veritate tua. Recordare Domine, opprobrii servorum tuorum, quod fero in sinu meo omnes multos populos. Quod probris affecerint inimici tui Domine, quod probris affecerint vestigia uncti tui.* Cæterum non ignoro, eos qui a nobis dissentiunt, & duplicem adventum Messiæ constituunt, longe aliter illa loca exponere; Sed non est mihi animus hoc loco super eo cum quoquam disputare, sed simpliciter & candide exponere sententiam, quam Hebræi profitentur.

Hinc ex illis, quæ hactenus dicta sunt, duo necessario sequuntur: unum, quod redemptio Israelitarum extendetur usq; ad finem mundi: alterum, quod finis ille sit venturus ante resur-

reſurrectionem mortuorum (ita tamen uti ante diximus, ut tempus diſtinctum ſit futurum a diebus Meſſiæ) & quia finis ille initium ſumet in diebus Meſſiæ : idcirco neceſſe eſt, ut novus mundus incipiat a reſurrectione mortuorum, ideoque vocatur עולם הבא mundus ſeu ſeculũ venturum. Idem quoque de reſurrectione conſtat ex Daniele, juxta illud: *Ito ad finem, & requieſce, & expergiſceris in ſorte tua, in fine dierum.* Præterea hoc ipſum colligitur ex antiquorum dicto quod exſtat in Gemara Abodæ, Zaræ cap. 1. תנא דבי אליהו ששת אלפי שנה הוי עלמא שני אלפים Cap. 6.
תהו שני אלפים תורה ושני אלפים ימות המשיח ובעוונותינו שרבו
יצאו מהן מה שיצאו (Legitur in ſchola Eliæ, (non Theſbitæ illius, ſed alicujus Rabbini) ſex mille annis mundum duraturum eſſe; bis mille annis inane, bis mille annis legem, & bis mille annis dies Meſſiæ, & propter peccata noſtra, quæ quam plurima ſunt, tot anni jam ſupra illud tempus elapſi ſunt.) Dividit hic autor totam mundi durationem in tres ætates, tribuens unicuique ætati bis mille annos. Conſiderans autem, homines uſque ad Abrahamum, (qui univerſam legem Moſaicam optime obſervavit, uti ex Geneſi conſtat) abſque lege vixiſſe, ideo vocat illud tempus תהו tohu, id eſt

eſt vacuum, & inane. Ab Abrahamo vero uſque ad Meſsiam, qui ſenſum Legis, & myſteria illius populum docebit, intervallum illud rurſus facit bis mille annorum; ita ut elapſis quater mille annis, illuſtris, ac mirabilis Dies exoriturus ſit, quo Meſsias in has terras veniet, ad populum de vera mente, ac genuino ſenſu legis erudiendum, ac docendum. Quia vero præter opinionem ſuam rem cadere videbat, ideo erumpens in lamentationes, ac querelas, ait, vitia, ac peccata populi in cauſa eſſe, cur adventus Meſsiæ ulterius, longiuſque dies iſte eſſet dilatus, adeo ut jam trecenti anni ultra quatuor millia annorum elapſi eſſent. Et profecto veriſſimum eſt, ſi Iſraelitæ ſerio factorum ſuorum pœnitentiam egiſſent, Meſsiæ adventus non fuiſſet procraſtinatus: at nunc quia profunde immerſi jacent hærentque defixi in vitiis, & peccatis ſuis, hinc eſt quod differatur beatitudo illa uſque ad finem dierum: nam tum juxta Oſeam, Cap. 3. 18. *Poſtea revertentur filii Iſrael et quaerent Dominum Deum ſuum, & David regem ſuum, et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in noviſsimo dierum.* Vel quemadmodum legitur in Sebet Ieudah, non dicitur, quod venturus ſit in fine quater mille annorum, vel in principio quin-

quinque millium : ſed tantum, quod bis mille annis dies Meſsiæ, id eſt, quod intra ſpatium ille annorum venturus ſit Meſsias, circa principium, medium, vel finem, pro ratione meritorum. Poſt iſtos vero ſex mille annos arbitrabatur mundum finem habiturum. Si igitur mundus durabit ſex mille annos, & poſtrema duo millia annorum ſint dies Meſsiæ, conſequitur ſane, mundum deſtructum iri, antequam homines reſurgant, & poſt iſtud tempus, novum orbem inchoandum eſſe. Vti R. Nathan, aliique plures ſtatuunt (quemadmodum ſupra diximus:) nam aliud eſt, tempus Meſsiæ, aliud, tempus reſurrectionis mortuorum. Denique hoc ipſum comprobari, ac confirmari poteſt ex Daniele, ubi agens de bello, quod erit inter Gog & Magog, deque miſeria ejus temporis, tanta, quanta nunquam fuit, eventura in deſtructione mundi, ait: *Et multi ex dormientibus in pulvere terrae expergiſcentur*, &c. Itaque mortui poſt illud tempus demum reſurgent.

Cap.

Cap. IV.

Quid antiqui sapientes de fine ac termino mundi senserint.

NOn defuere inter nos viri insignes, & sapientes, qui arbitrati sint, mundum, etsi principium habuerit, nunquam tamen desiturum, neque finem habiturum esse: quales fuerunt R. Levy ben Gerson, & R. Moses Ægyptius, uti in Conciliatore nostro abunde satis ostendimus. Et diximus omnia loca, quæ contrarium docent, metaphorice & allegorice ab illis explicari. Exempli gratia, ista loca in quibus agitur de destructione mundi, intelligenda esse ajunt de eversione, & excidio alicujus gentis, & imperii, puta Babyloniorum, Sanherib, Nebucadnezar, Edom, & similium. Item in Problematibus nostris de creatione mundi, argumenta eorum, quæ adferunt pro æternitate mundi examinavimus, & quantum potuimus confutavimus: quare supersedo hic eadem referre, ne videar cramben eandem reponere. Cæterum communis omnium Cabalistarum opinio est, mundum destructum atque abolitum iri. Tantummodo tempus quando illud, & quomodo futurum sit, id non satis aperte & manifeste explicarunt. Antiquissimi, uti in Tal-

Talmude legere eſt, ajunt, שיתא אלפי שנה הוי עלמא וחד חריב (Sex mille annis durabit mundus, & uno deſtruetur.) Ad quod multi commentati ſunt, mundum elementarem, & terreſtrem ſex millibus annorum duraturum eſſe, & ſeptimo millenario, omnia ad antiquum chaos reditura eſſe, ex quo facta ſunt. Deinde vero exſtiturum novum mundum, eumque ſimiliter, ubi ſex millia annorum ſteterit, relapſurum eſſe ad priſtinum chaos; atque ita mundi revolutionem duraturam uſque ad quadraginta novem millia annorum: tum vero cœlum, ac terram, omniaque illis comphrehenſa, in nihilum redactum iri. Hoc totum adumbratum eſſe exiſtimant partim ſex diebus creationis, quia juxta Pſalmiſtam Mille anni in oculis Dei ſicut dies heſterna: *Pſal. 91.* partim Lege ac mandato de Semita obſervanda; ut nimirum ſex annis terra colatur, & ſeptimo inculta relinquatur, quinquageſimo vero anno Iubilæus celebretur. At nemo hoc ipſum elegantius declaravit quam R. Menahem de Ricanate, & R. Ieuda Abravanel in Dialogis ſuis de amore. Hodierni Cabaliſtæ, quia vident jam prope ſex millia annorum effluxiſſe, intereaque tot ac tantis calamitatibus, perſecutionibus, tam diuturna captivitate, populum Iſraeliticum teneri, æquum judi-

judicantes, ut diutius multo duret felix, ac prosperum Messiæ seculum, quam adversum & calamitosum, eo deveniunt ut explodant eorum opinionem, qui putant, post sex mille annos mundi hujus terrestris finem futurum. Vti liquet ex Hayat Sahar a-Sebihyot, & Nephes a Hachama art. VI. & R. Mosis de leon insigni cabalista in Sepher a-miscal: ac proinde ubi dicitur, וחד חריב & *uno destruetur*, aliud quid intelligi volunt, quod excellentius est, quam ut Romana lingua exprimi atque enunciari possit. Vltimus & magni nominis Cabalista R. Ishac Loria per ista verba, uno destruetur, non intelligit mille annos: sed unicum tantum diem, aut momentum temporis unum, quodq; omnis motus desinet. Deniq; aperte neque Prophetæ, neque antiqui Sapientum locuti sunt: idcirco unusquisque fruatur judicio suo, & quod verisimilius videtur, pro arbitrio suo sequatur. Ad me quod attinet, ego postremam opinionem, tanquam verisimiliorem, cæteris præferrem: ac proinde existimo, mundum uno die, vel unica hora destructum iri, id est, toto illo tempore, suspensis, ac immotis stantibus orbibus cælestibus, nullam futuram, neque generationem, neque corruptionem, omniaque per resurrectionem innova-

tum

tum iri, & ad meliorem ſtatum reditura eſſe. Hæc procul dubio eſt opinio doctiſſimi viri Aben Ezra, qui commentans in locum illum Ieſaiæ, *Ecce ego creans cœlos novos, ac terram novam*, ait, והנכון כי השמים הם הרקיע והשם יחדש אויר טוב שיהיו כני אדם בריאים כגופם ויחיו שנים רבות וגם יוסיף בכח הארץ והנה היא חדשה (Potius eſt dicendum, quod cœli ſunt expanſum, & quod Deus inſtaurabit aërem bonum, ex quo ſalubria, & ſana gignantur corpora, & in longos annos vivant, ac tum quoque addetur vis quædam terræ, qua fiet nova) Iuxta hoc effatum, opinio Aben Eſræ erit, quod totalis atque univerſalis mundi reformatio ſit futura. Quanquam vero textus habet novos cœlos, tamen, non eſt neceſſe, neque ſenſus poſtulat, ut id intelligatur dictum de aliis, ac diverſis cœlis: ſed ſententia eſſe poteſt, futuram tantum cœlorum quandam inſtaurationem, ac reformationem in melius, ſicuti Samuel Sauli dicit, cum jam ante rex conſtitutos eſſet. Eamus in Gilgal & renovemus ibi regnum tibi. Si etiam recte conſideramus ſententiam illam veterum ſapientum, quam mox citavimus; uti erudite annotatum eſt a R. Moſe, † & R. Haſday de Creſcas *; comperiemus ex ea contrarium potius elici poſſe, nempe, mundum non

Ieſ. cap. 65.

† *Direc. li. 2. cap. 29.*

* *Or a Sem. li. 4. articul. 2.*

 omnino

quod dicitur eodem cap. 66. 22. *Sicut cœli novi, & terra nova.* חדשה nova, non inquit: ſed החדשה (expreſſo articulo hæc aut illa nova.) Quis hic non videt, ſapientem hunc Doctorem voluiſſe oſtendere, cœlum non annihilatum: ſed tantum in novum mutatum iri? Forte imaginabitur hic ſibi quiſquam, cœlos creatos eſſe & repoſitos alicubi, ut ſerviant atque uſui ſint in futuro ſeculo? At hoc profecto nimis abſurdum foret. Scopus ergo indicare eoſdem cœlos futuros, qui nunc ſunt, & quales uno ſex dierum Bereſit conditi ſint: ſed mutatos tantum, ac renovatos in melius. Idem quoque veteres alibi dicunt, Noachus vidit novum mundum. Atqui tum *Par. 30.* temporis mundus non plane fuit deſtructus: ſed tantum renovatus. Idem hoc confirmari etiam poteſt ex Pſalmo CII. verba hæc ſint. *Antea terram fundaſti, & opus manuum tuarum cœli. Ipſi peribunt; & tu ſtabis, & omnes iſti ſicut veſtis veteraſcent: ſicut veſtimentum mutabis eos, & innovabuntur.* Id eſt, ſicuti veſtimentum lacerum ac vetus, ubi reſarcitum ac refectum eſt, novum ac recens apparet: ita etiam cœli innovabuntur, atque aliam longe meliorem faciam recipient. Ex his omnibus concluditur, cœlum & terram non in nihilum, ſeu ad priſtinum primumque ſuum To-

seculū decurso temporum spatio, terminum sumat, extinctaque protinus omni malitia & piorum animis ad beatam vitam revocatis, quietum, tranquillum, pacificum, aureum denique (ut Poëtæ vocant) seculum Deo ipso regnante florescat. Hic plane se nobiscum sentire ostendit, excepto in sex millium annorum spatio bene collocando: in eo enim errat: nam juxta ejus calculum aliquamdiu jam anni illi exspirarunt. Quod autem dicat de mille annis, nescio unde illud habeat; neque etiam unde illud, de duplici resurrectione hauserit. Hieronymus super cap. lxv. Esaiæ, & Gregorius XVII. Mor. cap. v. I. Cor. VII. dicunt similiter, mundum non annihilatum, neque destructum iri: sed quod tantum reformabitur, seu renovabitur. Atque illud est, quod diximus. Restat nunc, ut videamus, quomodo futura sit ruina ista, quando, & quo fine: Hæc sequenti capite explicabimus.

Cap. V.

Quid sit excidium & ruina mundi, & quo fine futura sit.

OMnes Rabbini in eo consentiunt, Israelitas post reditum in patriam suam, qui redemptionis tempore futurus est, non plane, ac perfecte omni tranquillitate, & pace fruituros, nisi demum post confectam postremum, ac ultimum bellum Gog & Magog. Futurum enim est, ut postquam Israelitæ in Palæstinam redierint, gens illa Gog & Magog ad invadendum, & occupandam terram illam, & quidem cum ingente hominum multitudine infinitisq; militum copiis, ea spe animoque, ut regnum atque imperium illud sibi vindicet, non aliter quam Gothi olim Vandalique, vili turba comitati, opulentissima regna subjecerunt sibi & de illis triumpharunt. Et quanquam fortè persuasum habituri sint, non nisi singulari providentia divina Monarchiam istam Iudaicam erectam esse, forte tamen cogitabunt, eam ad tempus tantum aliquod duraturam esse; ac proinde eam non minus tum a se everti ac subjugari posse, quam eversa aut subjugata olim fuit

fuit a Nabuchodonosor et Tito Vespasiano. Hac spe ac fiducia armata manu invadent gentes illæ terram sanctam, eamque expulsis iterum Israelitis in potestatem suam conabuntur redigere. Quod ex variis scripturæ locis confirmari, ac comprobari potest I. Ezechiel cap. XXXVII. agens de congregatione, ac restitutione decem tribuum, aliarum duarumque cæterarum, significata duobus lignis illis, in quibus nomen *Ieudah*, & *Ephraim* inscriptum erat, & indicans futurum aliquando, ut tribus istæ omnes jungentur, regemque Davidem æternum, ac perpetuum habeant prædictionem, mox subjicit, quod adventu Gog & Magog populus percelletur ac perturbabitur. Hinc exorditur cap. XXXVIII. hunc in modum, *Fili hominis pone faciem tuam ad Gog, terram Magog, &c.* Et porro versu XIV. *Propterea vaticinare fili hominis, & dices ad Gog: sic dixit Dominus Deus, nonne in die illa, cum habitabit populus meus Israel in fiducia, scies? Et venies e loco tuo e lateribus Aquilonis, tu & populi multi tecum equitantes equos universi ipsi, cœtus magnus, & exercitus multus. Et adscendens super populum meum Israel, sicut nubes ad operiendum terram: in novissimo dierum eris, & venire faciam te super terram meam, ut sciant*

gentes me, in sanctificando me in te in oculis eorum Gog. Hoc bello igitur confecto rerum omnium magna mutatio erit: nam tum ex mea opinione finis erit mundi, sicut versu xx. refertur. *Et contremiscent a facie mea pisces maris, & volatile cœli, & bestiæ agri, & omne reptile repens super humum, & omnes homines, qui erunt in superficie terræ: & diruentur montes, & cadent gradus, & omnis murus in terram cadet. Et vocabo super eum in cunctis montibus meis gladium, dixit Dominus Deus: gladius viri in fratrem suum erit. Et judicabor cum eo in peste, & in sanguine, & imbrem dantem, & lapides Elgabis, & ignem & sulphur pluere faciam super eum, & super exercitus ejus, & super populos multos qui cum eo. Et magnificabo me, & sacrificabo me, et scient quod ego sum Dominus.* Hoc prœlium itaque committetur in fine mundi: nam postremo ac ultimo ejus die, concutietur tota terra, & in partes dissoluta dissipabitur inundationibus, terræ motibus, & id genus aliis ruinis. Ac tum destruentur universa, Gog cum omnibus gentibus delebitur, & ex eorum clade, tot cadaveribus terra implebitur, ut septem mensibus opus futurum sit, ad cadavera sepelienda & expiandum terram.

II. Alterum testimonium est Ioelis cap.

III.

III. versu 1, juxta illud. *Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae, Senes vestri somnia somniabunt, juvenes vestri visiones videbunt. Et etiam super servos, & super ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Hinc statim enarrat cœli signa, quæ ejusmodi grave ac asperum bellum Gog & Magog portendent, ac prænunciabunt. *I*dcirco ait, *Et dabo prodigia in cœlis, & in terra, sanguinem, & ignem & columnas fumi. Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis. Et erit omnis qui invocaverit nomen Domini evadet, quia in monte Sion & Ierusalaim erit evasio; sicut dixit Dominus, & in superstitibus, quos vocat Dominus.* Quis horribilis ac terribilis iste dies sit, mox explicat propheta, dicens, illum talem esse propter bellum Gog & Magog. *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo, quo convertam captivitatem Ieudah & Ierusalaim. Et congregabo omnes gentes, & defundere faciam eas, in vallem Iehosaphat, & congregabo me in judicio cum eis, ibi, super populum meum, & hæreditatem meam Israel, quos disperserunt in gentes, et terram meam diviserunt. Et super populum meum projecerunt sortem, et puerum dederunt in meretrice*

et puellam vendiderunt vino, ut biberent. Hinc duo colligi possunt, primo: quod bellum Gog & Magog inchoabitur, postquam captivi redierint, & congregati erunt in patria sua. Deinde, quod bellum istud eo fine geretur, ut Deus eo vindicet, atque ulciscatur superstites, qui Israelitas suos pessime tractarunt. Veruntamen quia propheta in verbis istis jam citatis mentionem nullam fecerat de fine mundi statim subsecuturo, ideo versu XIX. prosequitur dicens, *Sol et Luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum, et Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam, et contremiscent cœli, et terra, et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel.*: Quia tribulationibus istis post illas commota expavescent & trement.

III. Zephonias cap. III. singula paucis verbis complectitur, quæ circa finem mundi evenient; *Quapropter exspectate me, dixit Dominus ad diem, quo consurgam ad spolium, quia judicium meum ad colligendas gentes, ad congregandum regna, ad effundendum super eos iram meam, omnem iram nasi mei, quia in igne zeli mei concidetur omnis terra. Quia tunc convertam ad populos labium purum, ad invocandum omnes illos in nomine Domini.* Hic meminit propheta belli istius; & ostendit

deinde,

deinde, quod mundus per id tempus interiturus ſit. Denique ait, quod illi, qui poſt eas calamitates ſuperſtites erunt, invocaturi ſint nomen Domini, & uno eodemque cultu ſoli Deo ſint ſerrituri.

IV. Propheta Haggay hujus quoque bellum mentionem facit cap. II. verſu VII. *Sic dixit Dominus exercituum, adhuc unum puſillum eſt, et ego tremere faciam cœlos et terram, et mare, et aridam.* Eadem quoque formula dicendi in ſimili negotio utitur Ezechiel cap. XXXVIII. Quia vero eo tempore Palæſtina, ſeu terra ſancta, pace, & tranquillitate fruitura eſt, & omnes gentes, juxta Eſaiam, venturæ ſint ad celebrandum feſtum tabernaculorum & novilunii, in templo Hieroſolymitano; ideo progreditur dicendo, *Major erit gloria domus hujus noviſsimæ, quam primæ. Et in loco iſto dabo pacem.* Quod proculdubio ex mea opinione intelligendum eſt, de tertio templo: quia tempore ſecundi templi terra quieta, ac tranquilla non fuit, ſed hoſtium furore, ac rabie acriter concuſſa ac conquaſſata eſt: quemadmodum ex Flavio Ioſepho liquet.

V. Circa finem operis ſui Zecharias quoq; valde perſpicue hac de re locutus eſt, ideo in initio cap. XII de bello illo agens, ait.

ait, *Ecce ego pono Ierusalaim calicem veneni, omnibus populis circum, & etiam super Iehudah erit in obsidione contra Ierusalaim. Et erit in die illa, et ponam Ierusalem lapidem oneris omnibus populis. Qui eum sublevare contenderint, lacerando lacerabuntur, et colligentur adversus eum omnes gentes terræ. In die illo dixit Dominus, percutiam omnem equum in stupore, et adscensorem ejus in amentia, et super domum Iehudah aperiam opulos meos, et omnem equum populorum percutiam in cæcitate.* Id est, quemadmodum ei qui ebibit poculum veneno ac toxico mixtum, necessario moriendum est; sic etiam certum erit exitium eorum, qui Hierosolyma bello aggredientur. Et Iuda etiam erit cum obsidentibus Hierosolyma, quia hostes ejus quando terrā Iuda armata manu & vi transierant, populum istum vi secum abduxerant. Præterea inquit, non tam facile, uti ante, Hierosolyma ab hostibus expugnabitur: sed veluti ille, qui ingens saxum attollere volens sub onere labitur & succumbit: ita etiam omnes isti qui tentabunt & molientur dira adversus in mediis ausibus suis concident & molitionibus temerariis atque vanis machinationibus suis obruentur atque ita peribunt. Nempe Deus equum stupore percutiet, & sessorem amentem,

tem, ac fatuum reddet. Addit vero in tantis malis, Deus convertet oculos suos ad domum Ieudah, ne qui eam ejusque inhabitatores obsident pereant. Vel si id intelligatur de ipsis obsessis, ut ii ex isto periculo a Deo eximantur, atque ita a malis istis liberentur. Progreditur propheta hunc in modum. *Et dicent duces Ieudah in corde suo, robur mihi habitatores Ierusalaim in Domino exercituum Deo suo. In die illo ponam duces Iehudah, sicut focum ignis inter ligna, et sicut lampadem ignis in manipulo, et devorabunt super dexteram et sinistram omnes populos circum, et habitabitur Ierusalaim adhuc subter se in Ierusalaim. Et servabit Dominus tentoria Ieudah in principio, ut non magnificetur gloria domus David, et gloria habitatoris Ierusalaim contra Iehudah. In die illa proteget Dominus super habitatores Ierusalaim, et erit corruens in iis in die illa sicut David, et domus David, tanquam Deus, tanquam angelus Domini ad facies eorum*, &c. Id est, principes ac primores e populo Iudaico, obsidentibus permixti atq; ita foris extra urbem consistentes apud se cogitabunt, cives & incolas Hierosolymitanos se ipsos liberaturos esse in nomine Dei ex ista afflictione & miseria, sive Deum pro sua erga eis benevolentia effecturum, ut cives

cives isti sint adversus hostes, veluti ardens focus, & ignea lampas, quæ eos consumat ex omni parte; & ut ipsi etiam obsidentibus permixti, videntes Deum pro civibus istis esse, & præliandi animum resumant ad pugnandum & congrediendum cum suis eorumque hostibus. Ac tum demum servabit Deus tantoria Iudæ; Id est eos, qui erunt in exercitu hostili permixti hostibus. Quo fine? ne illi, qui intra mœnia Hierosolymorum sunt, glorientur, ac jactent se sua manu, ac virtute, ex tanto periculo eteptos esse. Atque hoc est tempus istud, quo tam præclara, ac fortia facta edentur, ut infirmissimus instar fortissimi Davidis sit futurus, & regia domus Davidis futura veluti angelus Domini, qui eos tueatur & ducis instar eos præcedat. Pergit Propheta, *Et erit in die illa, quæram ut conteram omnes gentes venientes contra Ierusalaim. Et effundam supor domum David, & super habitatorem Ierusalaim spiritum gratiæ, & miserationum, et aspicient me quem transfixerunt, et plangent super eum veluti planctum super unigenitum, et amaritudine afficientur super eum, sicut amaritudine afficitur quisquam super primogenitum. In die illa magnus erit planctus in Ierusalaim, sicut planctus Hadadrimmon in campo Meghidon, et planget terra familiæ seorsum.*

sum. Familia domus David seorsum, mulieres eorum seorsum, familia domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum. Familia domus Levi seorsum, mulieris eorum seorsum. Familia Simei seorsum, et mulieris eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ familiæ seorsum, et mulieres eorum seorsum. Id est, Deus eo adducet vel pertrahet gentes, ut ibidem eas deleat; & inveniet tum domus Davidis gratiam tantam in oculis Domini, ut propter minimum, qui ex eis transfixus fuerit, sublaturi sint oculos versus cœlum, a Deo petentes vindictam mortis eorum, & misericordia ergo eos commoti, adeo lamentabuntur, ac tanto sensu doloris afficientur, ut non perciperent ex morte unici, aut primogeniti filii. Vel ob quemlibet, qui ex populo interemtus erit, animum despondebunt, & putabunt se perditos esse: sicut tempore Iosuæ accidit, cum triginta sex viri dumtaxat, cecidissent de Israele in campis Hay. Hinc Iosua perturbato & exterrito plane animo rogat Deum, Quare Domine traduxisti populum tuum ultra Iordanem? &c. Vel quemadmodum hoc explicatur in Gemara de Suca, Messias ben Ioseph, seu filius Ioseph (quem antiqui imaginati sibi sunt ante filium Davidis, ducem ac principem populi fore,) occum-

occumbet in prœlio isto, ac percipietur clades ista a domo Davidis, & a quatuor familiis, quæ tum illustriores, ac nobiliores cæteris erunt; quin & propter cladis magnitudinem mulieres quoque seorsum lamentabantur eum. Et inquit planctum illum similem fore Hadadrimmon, hominis per id tempus notissimi. Vel juxta Targum, instar planctus Achab & Iosiæ. Atque hæc est sententia eorum, quæ cap. XII. continentur.

Quæ bellum illud consequentur, ea describuntur cap. XIII. Ac primo quidem versu propheta ait, Fons aperietur domui David & incolis Hierosolymitanis, nempe ne illis opus sit querere foris aquam pro peccato, & pro separatione ab immunditia. In secundo declaratur, Deum tunc eradicaturum nomen idolorum, & falsos prophetas, ac spiritum omnem immundum extirpaturum e terra, ita ut nulli amplius sint futuri impostores, & auctores impiarum sectarum. In tertio exponitur, futurum ut, qui falso prophetaverint, interimantur & e medio tollantur, etiam a parentibus proprii filii sui. In quarto dicitur, inde consecuturum ut erubescant omnes similia crimina committere, caveantque sibi ab induendo pallio villoso hypocrisios ergo, uti mos est eorum, qui simulant

mulant ſe ſanctos eſſe. In quinto, futurum ut neget ſe prophetam fuiſſe, affirmetque contra ſe, non niſi agricolam fuiſſe. In ſexto, futurum ut ſi delatus & poſtulatus fuerit pſeudoprophetiæ ob plagas manuum, (quibus falſi prophetæ ſolent ſeſe vulnerare, uti liquet in ſacerdotibus Baaliticis coram Elia) diluens & diſſimulans hoc crimen, dicet, ſe plagas& vulnera iſta in ipſa domo amicorum ſuorum accepiſſe. Pater R. David Kimchi, id eſt, R. Ioſeph Kimchi, diverſo modo hoc ipſum explicat; videlicet, pſeudoprophetam, ubi ſuſcitatus erint, omnibus ludibrio futurum eſſe, ejuſque rei ſignum futurum, manus ejus vulneribus confixas & tabo ac ſanie fluentes, indeque futurum ut quando iſte ejus ipſius criminis poſtulabitur, exceptione iſta ſe ſit purgaturus, quod vulneratus ſit, non quia falſus propheta eſt, ſed quia, dum colluderet cum amico, & in luctando, velitandoque ſe exerceret, caſu vulneratus fuerit. Pergit propheta in explicando fine, & exitu belli. *Gladie, ſuſcita te ſuper paſtorem meum, et ſuper virum ſocium meum: dixit Dominus exercituum, percute paſtorem, et diſpergentur oves, et convertam manum meam ſuper parvulos. Et erit in omni terra, dixit* Do*minus. Partes duæ in ea ſuccidentur, ac defici-*

ent, et tertia relinquetur in ea. Et indicam tertiam partem per ignem, et conflabo eos, sicut conflatur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse invocabit in nomine meo, et exaudiam eum, dixi, populus meus ipse, et ipse dicet Dominus Deus meus. Id est, Deus bellum excitabit adversus Turcam, quem constituit pastorem carissimi gregis sui Israelitici, qui in captivitate vivit sub Domino atque imperio ejus. *Et super virum socium meum*, Id est, super eum, qui se putat Deo proximum & æqualem esse. Hac periphrasi designans eundem Turcarum regem. Hic enim præ arrogantia ac fastu, jubet se appellari Magnum Dominum. Eo pastore cæso, inquit propheta, confestim oves dissipabuntur, & quælibet ex terra ejus proripiens sese petet Iudæam. Insuper ait, Dominus Deus vertet manum suam super parvulos seu minores, id est, super reges Edom: quippe illi potestate inferiores sunt rege Turcarum. Vel potius de Papa Romano capiendum est, qui se pastorem, & proximum a Deo appellat & Dei vicarius in terris audire vult. Contra illum, similesque illi, qui potestate sunt inferiores, Deus bellum suscitabit. Sunt qui per pastorem intelligi velint Messiam ben Ephraim, qui occumbet in prœlio. Quoniam

vero

vero iniquum esset, ut omnes Israelitæ pari & æquali felicitate dierum Messiæ fruerentur, quia non pauci inter eos mali & parvi erunt; contra vero æquum, ac par est, ut gentes illæ, quæ Israelitas istos pessimis modis vexarunt & afflixerunt, puniantur: idcirco ostendit propheta, eum futurum belli istius finem, ut purgentur omnes habitatores terræ, neque plures relinquantur, quam boni, ac probi, qui undique collecti tertiam dumtaxat populi partem facient. Etenim juxta Biantem Philosophum, mali numero superant bonos ac probos. Et quemadmodum in Zoar legitur, improbi ex Israele interibunt; & probi, atque optimi viri ex gentibus terræ, qui bene de Israële meriti sunt, Deoque diligenter servierunt, liberabuntur, & conjuncti populo Dei, invocabunt nomen ejus, & ille exaudiet, ac respondebit illis.

Postremo capite agitur de miseriis, & calamitatibus liberationem hanc populi præcessuris. Civitas, inquit, occupabitur ab hostibus, mulieres violabantur, & dimidia pars civitatis captiva abducetur. At tum derepente & veluti ex machina Dominus Deus succurret, & pugnabit cum gentibus. Præterea ait, dimidium montis Olivarum discindetur

detur, & in ſe rediens voragine ſua abſorbebit omnes hoſtes, & inimicos, uti accidit toti domui Corah, & ſingulis ex ea, qui ob terræ motum periculum evadere conabantur. Poſt hæc enarrat ea, quæ in ipſo fine mundi evenient. *Et erit in die illa, non erit lux clara, vel obſcura. Et erit dies unus, ipſe notus erit Domino, non dies, neque nox: ſed erit in tempore veſpertino lux. Et erit in die illa & egredientur aquæ vivæ, & Hieroſolyma medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare noviſſimum, in æſtate & in hieme erit. Et erit Dominus in regem ſuper omnem terram, in die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum.* Hinc liquet admodum magnam tunc futuram rerum mutationem. Etenim extremus mundi dies, longe diſſimilis erit præcedentibus omnibus diebus, quia neque lucidus aut clarus, neque obſcurus & tenebroſus erit: deinde jam quando videbitur ad occaſum vergere, tum contra naturæ ordinem, lux orietur, & fiet mane. Cauſa eſt, quia hic mundus, qui imperfectior eſt, initium habuit & cœpit a nocte, juxta illud. *Et fuit veſpera ac mane dies unus.* Verum mundus futurus, quia perfectus, atque omnibus numeris abſolutus erit, incipiet a luce & die. Illud eſt quod ab antiquis ſapientibus dicitur

in Semot Raba Par. 18. בעולם הזה עשה להם נס בלילה שהיה נס עובר אבל לעתיד לבוא הלילה נעשה יום שנאמר. והיה אור הלבנה כאור החמה (In hoc mundo illis edidit Deus benedictus miraculum noctis (ſcilicet in Ægypto) quia fuit miraculum tranſiens: ſed in futuro mundo, nox fiet dies, juxta illud: Et erit lux Lunæ tanquam lux Solis.) Id eſt, eadem lux Lunæ, quæ illuminat noctem, convertetur in lumen Solis, & fiet dies. Ac tum orietur ac proſiliet fons ille domus Domini; qui expulſa atque exterminata e terris idololatria, agnoſcetur Dominus ac Rex totius orbis terrarum; *neque tum amplius* (uti ait) *erit anathema*, & habitabitur Ieruſalaim in fiducia.

VI. David Pſalmo ſecundo meminit belli hujus, cum ait: Omnes gentes, & nationes congregabunt ſe adverſus Deum & Meſſiam, ad excutiendum ejus jugum: Nempe quando Meſſias omnes gentes in poteſtatem ſuam redegerit, tum rebelles tumultuabuntur, & bello aggredientur Hieroſolyma, eaque obſidione undique cingent. At Dominus (inquit David) ridebit illos, & perturbabit rebelles æſtu iræ ſuæ, ob regem ſuum Meſiam: qui enarrabit decretum Domini; quo videlicet ipſum in filium ſibi eligit, eique dedit poſſidendos populos omnes, quos

confringet virga ferrea. Hac de caussa monet prudentiores ex populo, quique non loquuntur inane, ut submittant se Deo, eumque cum reverentia, ac tremore colant, & filii sui Davidis manus osculatur, & agnoscant eum protectorem ac defensorem suum esse, seu electum (nam vocabulum (בר) ita etiam reddi potest) ne cum cæteris pereant.

VII. Daniel de hac ipsa calamitate & miseria loquitur. Nam postquam de bello Gog & Magog egit, ait, *In illo tempore stabit Michael princeps magnus, stans super filiis populi tui, & erit tempus angustiæ, quod non est factum ab existendo gentem, atque ad tempus hoc; & in tempore illo evadet populus tuus inventus inscriptus in libro.* Aperta hic etiam mentio fit gravissimæ illius horæ, qua mundus universus dissolvetur in partes, & decidentis e cœlo copia grandinis fulmine, tonitru, tenebris, terræ motibus, agrorum inundationibus, & id genus aliis malis, conquassabitur ac peribit. Postquam igitur hac ratione veteris mundi compages dissoluta perierit, proveniet statim novus, & priore longe melior mundus.

cap. 12. 1

Hæc omnia clarissime a nominatis ante prophetis referuntur: nam Ezechiel mentionem

nem

nem facit exercitus & copiarum Gog & Magog; item tumultus ac tremoris terræ, & interitus mundi. Idem Haggay testatur. Ioel addit, bellum illud prodigiis ac portentis cœli jam ante prænuntiatis comitatum iri, & præcipuum ejus finem fore, ut castigentur ac puniantur illi, qui populum Dei misere adflixerunt. Zephanias etiam de illo judicio agit, quando ait, futurum ut omnes gentes uno & eodem cultu adhæreant Deo. Zecharias aliquanto accuratius finem ac progressum belli explicat, quod videlicet Meßias ben Ephraim in bello isto occũbet, populusque Dei Israelis calamitatibus innumeris affligetur. Cui adstipulantur David & Daniel. Præterea declarat novum mundum exordium suum habiturum a die, non a nocte, uti primum. Ex quibus omnibus patet, mundum desiturum ac periturum esse, quando omnia signa illa evenient. Atque hæc quidem hactenus.

Cæterum scio, alios per bellum Gog & Magog intelligere seculum Antichristi, quod erit in fine mundi. Hinc † Augustinus ait, Gog esse Diabolum, & Magog exercitum Antichristi. ‡ Ambrosius existimat Gog esse Gothos, qui multas Romanorum provincias invaserunt atque everterunt. * Eusebius arbitratur

† *li. 20. de civitate Dei cap. 1.*

‡ *li. 2. de demonst. Euange. cap. 3.*

* *lib. 5. cap. 23.*

bitratur Gog esse imperatorem Romanum, & Magog ejus regnum atque imperium. † Plinius refert Cavę Syrię urbem esse Bambycem, sive Hierapolin, quæ Syris nominatur Magog. Hebræi norunt quidem Magog esse ex posteris Iaphet: sed quænam ea gens vel natio hodie sit, ignorant. Atque hæc de variis multorum explicationibus.

† *lib. 5. cap. 23.*

Quæ de futuro seculo hactenus disseruimus, ea nō noviter a nobis invēta aut excogitata sunt, sed multò ante tradita ac credita. Nam uti jam diximus, R. Moses Gerundensis, & alii omnes sapientes, per finem dierum, intelligunt dies Messiæ. Rationem ante attulimus. Præterea omnes autores testantur, & præcipue clarissimus vir Isac Abravanel, resurrectionem mortuorum conjunctam fore cum fine isto, & cum congregatione captivorum Israelitarum. Similiter ex mente & opinione doctissimi viri, qui autor est libri Aruch, retulimus, excidium mundi futurum ante resurrectionem mortuorum. Hinc rationi consentaneum mihi videtur, finem mundi ponere in bello Gog & Magog: nam post illud ajunt prophetæ, Israelem tranquille ac quiete victurum in terris suis. Cæterum destructio illa mundi, non erit totalis mundi eversio aut annihilatio; sed tantum

tum ejus commutatio in meliorem ſtatum, juxta R. Aben Ezra, R. Haſday, alioſque plures. Sed hic quiſque judicio ſuo fruatur.

Cap. VI.

Graphice & accurate mundi reformatio depingitur.

UT naturam, atque ſtatum reformati mundi depingamus, lubet nobis ſequi ordinem creationis mundi, nequid inordinate dicamus de mundo illo, qui poſtquam tot malis ac calamitatibus everſus erit, ſingulari divina gratia de novo inſtaurabitur. Primo die, condidit Deus benedictus lucem. Hæc lux juxta complures ſapientes non fuit lux Solis. Sol enim quarto demum die poſt factus eſt. Sed ex veterum ſententia lux ſupernaturalis, cujus quia mundum hunc incapacem eſſe videbat Deus B. hinc eam reſervavit probis & piis hominibus in futuro ſeculo. Omnes itaque illi, qui poſt tot perpeſſa mala ac calamitates reliqui erunt, illa luce fruentur; quicum lumen Solis comparatum uſq; adeo exile & exiguum eſt, ut ejus uſus plane non neceſſarius ſit futurus. Hoc aperte docet Eſaias, *Non erit tibi Sol amplius*

Bereſit Raba Paraſ. 3.

Cap. 60. *in* 19.

in lucem die, & splendor Lunæ non illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem seculi, & Deus tuus in gloriam tuam. Ad quæ verba hunc in modum commentatur Isac Abravanel, לא תצטרכי אור השמש בעבור אור השכינה. (Non erit tibi opus luce Solari, ob divinum lumen.)

Secundo die factum est expansum, sive רקיע, quod ex opinione multorum eruditorum, significat regionem aëris. Hæc autem, uti jam ante diximus, in mundo novo repurgabitur ab omni vapore noxio, ac tum longe salubriorem, & suaviorem auram de se spirabit. Atque hoc per cœlum novum significari ait doctissimus vir Aben Ezra. Hoc ipso die malignos spiritus, ac dæmones cum inferno creatos esse antiqui testantur, quorum sedes est in aëre, ut supplicium sumant, jubente Deo, de malis & improbis. Omnia illa auferentur & desinent in futuro seculo, juxta illud quod legitur in tractatu Aboda Zara, cap. 5. ubi ait Res laquis, אין גהינם לעתיד לבא אלא הקדוש ברוך הוא מוציא חמה מנרתקה ורשעים נידונין בה שנאמר הנה יום בא בוער כתנור (Id est, non erit infernus in futuro seculo; sed Deus benedictus die judicii educet Solem de vagina, impios eo affliget. Ita enim scriptum est, Malhac. 4. 1. *Ecce dies veniens ardens, tanquam clibanus.*) Cæterum quod immundi

di ſpiritus, vulgo Dæmones dicti, interibunt, neque amplius ſuperſtites in terra erunt, manifeſte ex Zoar conſtat, ubi legitur. *Paraſ. Qui Teſſe.*

כתר דעבירו גרמייהו אלוהות קודשא בריך הוא עתיד לאעברא לון מעלמא ולממחי לון ואי תימרון אין בני אנשא עבדין לון אלוהות ולא ברשותא דליהון אמאי איתענשו לא כד הוו דור המבול ודור הפלגה ירעי בהון והוו מקטרין לון וסגדין לון הוו נחתי לגבייהו ועברי רעותייהו וממללן בהון באינון צלמן הא איתעבידו אלוהות ועבודות זרות בגין דא הק"בה עתיד לאיתעברא לון וימחה לון מעלמא צולמין דליהון דהוו פלחין בהון ואשתאבו מנהון רוחין רצולמין וכדאית בעלמא ערב רב נחתין לאיתגשמא בהון וק"בה יעבר לון מן עלמא הה"ד ואת רוח הטומאה אעביר מן הארץ

(Quia ſibi fecerunt Deos, idcirco Deus benedictus decrevit eos extinguere & delere ex mũdo. Dices ſi homines ſibi feceruntDeos Dæmonum inſtigatione, quaſi adacti non a voluntate ſua propria, quare illi punientur? Animadverte, quod tempore diluvii, & diviſionis turris Babylonicæ, cum homines illis ſacrificarent, thura adolerent, & ſeſe coram illis proſternerent, deſcenderint Dæmones ad illos, & voluntati eorum obtemperarunt, oracula & reſponſa illis dando in imaginibus. Atque hac ratione ſeipſos fecerunt Deos, & idololatriæ cauſſa erunt. Propterea Deus exſtirpabit illos, & idola delebit ex mundo, in quibus culti fuerunt: iuxta illud, *Spiritum immundum tranſire faciam a terra.*) Similiter in Paraſa Bereſit *Zechar.* 13.2.

Beresit legitur, futurum ut Lilit, Nahama, & Ageret Bat Mahalat, & id genus alii spiritus extinguentur. Liquet igitur ex his, veteres in ea opinione fuisse, tum temporis omnes malignos & immundos e mundo & medio tollendos & delendos esse ubicunque erunt, sive in imaginibus responsa dantes; sive in corporibus quibusdam latentes, quia illi sunt omnis idololatriæ autores & suasores. Hoc ipsum confirmatur ab Esaia, *Et omnia idola plane removebit*. Similiter a Zecharia cap. XIII. & a Sophonia cap. V. Atque ita reformabitur opus secundæ diei, sublato omni malo, & cunctis rebus restitutis in melius.

Tertio die apparuit terra sicca, & Deus creavit plantas: hæ maledictæ fuerunt ob peccatum Adami. Quamobrem in novo mundo emendabitur terra, eique indetur præstantior quædam vis ac virtus ad germinandum juxta Aben Ezra. Hinc in Siphra ab antiquis dictum legitur, ונתנה הארץ יבולה לא כדרך שהיא עושה עכשו אלא כדרך שנעשית בימי אדם הראשון
Levit 26.4. (*Et dabit terra proventum suum*, nō eo modo, uti nunc; sed quemadmodum eum proferebat tempore Adami.) Similiter in Semot Raba legitur. עושה האילנות ליתן פירותיהן בכל חדש וחדש
Paras. 15. ויהיה אדם אוכל מהן ומתרפא שנאמר ועל הנחל יעלה על שפתו מזה ומזה לחדשיו יבכר (Fiet, ut arbores singulis mensibus

ſibus fructum proferant, & homo comedet ex illis, & ſanabitur: nam ita dictum eſt. *Et juxta torrentem aſcendet, juxta ripam ejus hinc, & inde, in menſibus ſuis maturabit, &c.*) In Ialcut ſuper prophetia Haggay refertur, tempore Adami arbores ſingulis diebus fructum tuliſſe: poſtmodo autem terram corruptam fuiſſe; fortaſſe per diluvium. Denique, liquet hinc, quod ex veterum opinione, terra iſto tempore in meliorem ſtatum reſtituetur, uti in Bereſit Raba idem quoque confirmatur. Quanquem ſunt, qui arbitrantur, ſolum terram ſanctam iſto reſtitutionis privilegio gaviſuram eſſe: eamque futuram paradiſum orbis terrarum.

Iechezc. cap. 47. 12.

Par. 12.

Quarto die Sol, Luna, & ſidera creata ſunt. Hæc etiam ſimiliter inſtaurabuntur: nã Solis lumen, quod fons, & origo eſt omnis lucis cæleſtis, mirum in modũ augebitur; uti in Semot R. traditur. הקב"ה עשה לשמש מאיר מ"ט חלקי אור שנאמר והיה אור הלבנה כאור החמה ואור החמה יהיה שבעתים כאור שבעת ימים (Deus benedictus efficiet, ut Sol illuminet xlix. partes lucis ſuæ, ita enim dicitur, *Et erit lux Lunæ, ſicuti lux Solis, & lux Solis erit, ſepties auctior, uti lux ſeptem dierum.*) In tractatu Talmudico de Peſahim hunc in modum ſcriptum legitur.
רב חסדא רמי כתיב וחפרה הלבנה ובושה החמה וכתיב והיה אור

Par. 12.

Cap. 7.

הלבנה כאור החמה לא קשיא כאן לעלם הבא כאן לימות המשיח (Rab Hasda argumentatur, scriptum est, *et erubescet vel repudiabitur Luna, et erubescet Sol*. Et scriptum est, *Et erit lumen Lunæ, sicut lumen Solis*. Nulla hic difficultas est: nam unum intelligendum est de mundo futuro, alterum de diebus Messiæ.) Id est, quantum ego judicare possum: in diebus Messiæ, scilicet finito bello Gog, & Magog, pudore afficietur Luna, & Sol erubescet: nam tum tanta erit (uti supra dictum est) omnium rerum perturbatio, ut omnia quasi ruitura, & in nihilum abitura videantur. Sed post ingentem istum motum, ac perturbationem, in melius mundus restituetur; & deinde Solis lux tanto fulgore ac splendore augebitur, ut septuplò major sit futura, quam lumen integris septem diebus creationis mundi fuit. Idem confirmatur in Beresit Raba, Paras. 12.

Quinto die aves & pisces creati sunt, inter quos est piscis Leveatan, ex quo juxta veterum opinionem (si secundum literam id accipiatur) præparabit Deus in futuro seculo ingens, ac opiparum convivium justis, ac sanctis. Denique bestiæ, & omnia animalia ratione carentia, sexto die condita, tum meliore multo conditione erunt. Quemadmodum

dum in Semot Raba, dicitur. מביא כל החיות וכל העופות וכל הרמשים וכורת עמם ברית ועם כל ישראל שנאמר וכרתי להם ברית כיום ההוא עם חית השדה ועם עוף השמים (Congregabit Deus omnia animalia, & omnes aves, & omne reptile, & fœdus cum illis inibit, & cum omni Iſraële; quia ſic dictum eſt, *Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtiis agri, et cum avibus cœli.*) Id eſt, Deus non ſolum pactum inibit cum Iſraële: ſed etiam cum animalibus rationis expertibus; ita ut non modo inter homines, ſed etiã inter ipſas beſtias pax futura ſit, non aliter quam ante peccatum Adami, & in arca Noachi, quando una alteram non lædebat, nec dilaceravit, juxta illud Eſaiæ cap. XI. verſu VII. *Vacca et urſa paſcentur ſimul*: item, *Leo ſicuti Bos comedet paleam*, &c. Sed nec homini illam noxam inferent in terra ſancta, juxta illud Eſaiæ, *Non male facient, et non nocebunt in univerſo monte ſanctitatis meæ.* Reformatio, itaque ac melioratio etiam in beſtiis erit.

Hoſeah cap. 2. 18.

Cap. 11.

Tandem ac poſtremo, die ſexto creatus eſt Adamus ex omni parte perfectiſſimus, ex pulvere terræ, abſque conjunctione maris & feminæ. Aiunt Rabbini, corpus eius fuiſſe lucidum, & proceræ admodum ſtaturæ, cæterum peccato eius lucem

ſimul

ſimul ac ſtaturam iſtam imminutam aut derperditam eſſe. Procul dubio igitur Adamus quando reſurget, eadem illa priori forma, ac ſtatura reſtituetur: nam primus omnium ſuſcitabitur. Præterea corpus ejus longe lucidius, & magis diaphanum erit, juxta illud quod in Midras a-Nehelam refertur,

Paraſ. Vayera Elau.

אמר ר׳ לוי הנשמה בעודה במעלתה ניזונת באורה של מעלה ומתלבשת בו וכשיכנס לגוף לעתיד לבא באותו האור ממש יכנס ואז הגוף יאיר כזוהר הרקיע הה״ד והמשכילים יזהירו כזוהר הרקיע

(R. Levy inquit, anima dum eſt in glorioſo ſuo ſtatu, ſuſtentat ſe luce ſuperiore, & ea inveſtitur: quando revertetur ad corpus ſuum in futuro ſeculo, cum eadem illa luce revertetur, ac tum corpus lucebit tanquam claritas cœli, juxta illud quod ſcriptum eſt, Dani. 12, 13. *& intelligentes lucebunt, veluti claritudo cœli.*) Quia vero in iſto novo mundo peccatum non habebit locum, uti in ſequentibus demonſtrabimus: conſequitur ſanè, corpus ſemper in eadem illa gloria ac claritate permanſurum eſſe, atque ita mundum totum in eundem ſtatum reſtitutum iri, in quo fuit ante peccatum.

Interea triplici ratione differet meo judicio renovatio hæc mundi, ab ea cum qua primum creatus eſt. Primo, hic mundus factus eſt ex nihilo: ille vero non fiet ex nihilo:

hilo : ſed ex illis ipſis rebus creatis & nova quadam diſpoſitione ac meliori qualitate donatus. Secundo, hic mundus factus eſt ſeptem dierum ſpatio : ille reformabitur unico die. Tertio, hic mundus cœpit a nocte : ille incipiet a die, juxta illud Zechariæ (de quo ſupra.) *In tempore veſpertino erit lux.* Atque ita ſublato mutatoque primo eoque ordinario cæli motu, aliarumque rerum caſu, finis hujus mundi erit, & periodus ejus finietur, incipietque deinde nova atque alia plane diverſa rerum omnium periodus. Cap. 14. 7.

Sunt qui velint, omnia ea, quæ hactenus diximus, futura tempore Meſſiæ, atque eo etiam illud Sapientum dictum pertinere exiſtimant עתיד.לבוא *Paratum ad veniendum*. Verum ſi recte quis expendat ea, quæ ſuper hac ſententia in Midras a-Nehelam dicuntur, is comperiet, illud accipiendum eſſe de novo mundo, qui incipit a reſurrectione mortuorum. Vel, ſi cui ita videatur, is poteſt hæc etiam aliquo modo referre ad tempora Meſſiæ, quia utrumque tempus conjunctum erit, uti ante oſtendimus. Deinde, quia finis reſurrectionis eſt, ut reſuſcitati eadem illa beatitudine ejus ſeculi fruantur : quare pro uno & eodem tempori ſumi poteſt. Non mediocriter propoſito huic noſtro ſervire mihi

videntur admirabiles isti versus, regii prophetæ Davidis psalmo CIIII. *Universa in te sperant, ut des escam eorum in tempore. Das illis, colligunt: aperies manum tuam, saturabuntur bono. Abscondes facies tuas, terrebuntur: colligis spiritum eorum, expirabunt, et in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum, creabuntur, et innovabis facies terræ.* Non poterat Psalmista clarioribus aut magis emphaticis verbis exprimere aut declarare mortuorum resurrectionem & mundi renovationem. Dicit enim, post mortem secunda vice redituram animam in corpus & deinde terram renovatum iri. Atque hac quidem ratione explicatam, & comprobatam satis esse existimo mundi renovationem.

Cap. VII.

An tum dies judicii futurus sit.

POstquam mundus innovatus, ac mortui resuscitati erunt, eos inter juxta Danielem tum boni tum mali reperientur. Fas autem non est, ut omnes æquali ratione ac pari sorte in aureo ac felicissimo illo seculo fruantur. Hinc futurum est ut Deus postquam ex parte in bello Gog & Magog vivos judicavit, excepta tantum tertia eorum parte,

te, veniat etiam ad iudicandum eos qui resuscitati erunt, alios ad vitam æternam, alios ad ignominiam & pœnam æternam. Hac de causa dies ille, quo resuscitati iudicabuntur, ab antiquis, יום הדין *dies judicii* vocatur. Hinc in Mehilta perscriptum est, אם תזכו לשמור את השבת תנצלו מגזירת פורעניות ומיומו של גוג ומגוג ומחבלי של משיח ומיום הדין הגדול (Si observantes Sabbatum, mereamini, tum liberabimini ab infortuniis, ex die Gog & Magog, afflictionibus Messiæ, & a die iudicii magni.) Dicitur iudicium magnum, quatenus maior numerus erit resuscitatorum, qui tum iudicabuntur, quam vivorum, qui iudicati erunt in valle Iosaphat: ubi sunt dolores Messiæ. Præterea legitur alibi שלשה כתות ליום הדין (tres classes hominum suscitabuntur in dic iudicii.) Item alibi ad sermonem illum Samuelis cum Saule, 1. Sam. 28.15. *Quare irritasti me ut adscenderem? &c.* Annotant מתיירא שמא הגיע יום הדין (verebatur se evocatum esse ad diem iudicii) Ex sacra scriptura etiam constat talem iudicii diem futurum esse. Ac primo ex Mose, quia in postremo suo cantico, ordine agit de redemptione Israelis, de resurrectione mortuorum, & de iudicio extremo, iuxta illud. *Nonne ipsum absconditum est apud me, sigillatum in thesauris meis? Mihi ultio, et retributio,* *Deut. 32.34.*

 in

in tempore nutabit pes eorum, quia propinquus dies exitii eorum, et festinant futura eis. Quia judicabit Dominus populum suum, et super servos suos pœnitebit eum: quando videbit, quod abierit potentia, et ceciderit princeps, et auxiliator. Et dicet, ubi dii eorum? robur in quo speraverunt? Qui adipem sacrificiorum eorum comedebant, et bibebant vinum libaminis eorum: surgant et auxilientur vobis: sit super vos absconsio. Huc usque agit coriphæus ille omnium prophetarum, de redemptione Israelitarum. Ac proinde ait Dominus, non oblitus sum ejus, quod vinum venenatum populo meo bibendum præbuerunt. Ad me pertinet vindicta, & ultio tãti sceleris, quæ sumetur, cũ nũtabit pes eorũ, & cadẽt, neq; allevabuntur, quia propinquus est dies exitii eorum. Cum putabunt longe eũ abesse, tũ ante fores erit. Atque ex eo tempore incipient eos premere ea mala, quæ illis destinata sunt. Nam tunc, scilicet in bello Gog & Magog, Deus judicabit populum suum, & pœnitebit eum miseriæ, ac calamitatis istius universæ, qua populus suus effectus est. Ac tum gentiles comperient Deum justum esse; eumque pœnam improbis debitam aliquamdiu quidem distulisse, non tamen ab iis omnino abstulisse. Atque illud fiet, cumDeus videbit potentiam

Israeli-

Iſraelitarum imminutam eſſe, eoſque in ſummo periculo verſari, juxta Zechariæ verbum, quia princeps, & auxiliator eorum occubuit in prœlio, nempe Meſſias ben Ioſeph, ſive Ephraim. Vel intelligi poteſt hoc ſenſu, quando Iſrael in ſumma afflictione verſabitur abſque rege & principe extra terras ſuas, qui eum gubernet; tum, & non ante, redimetur ac liberabitur, & tunc dicet Deus benedictus inimicis ac hoſtibus ejus, ubi nunc ſunt dii veſtri? invocate eos, ut vos eripiant ex his miſeriis, & ſalvos vos faciant ab his calamitatibus. Pergit Moſes tractare de die reſurrectionis, dicens. *Videte nunc quod ego ipſe, & non dii mecum, ego mori faciam & vivere faciam. Transfflixi, & ego ſanabo, & non de manu mea eruent.* Quando hic primo nominat mortem, ac deinde promittit vitam, eo indicat (uti diximus ſupra) atque innuit reſurrectionem mortuorum. Non concludit hic Moſes canticum, ſed poſt hanc reſuſcitationem docet fore judicium univerſale, quod a Deo exercebitur poſt reſurrectionem mortuorum, hiſce verbis. *Nam levabo ad cœlos manum meam, et dicam vivam ego in ſeculum. Si acuero fulgur gladii mei, et apprehenderit in judicium manus mea, reddam ultionem anguſtatoribus meis, et odio*

habentibus me rependam. Inebriare faciam sagittas meas ex sanguine, et gladius meus comedet carnem, propter sanguinem occisi, et captivitatem a capite ultionum inimici. Cantate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum vindicabit, et vindictam reddet angustiatoribus suis, et propitiabitur terræ suæ, populo suo. Moses hic ostendit, promissum hoc non esse conditionale quia juramento a Domino Deo confirmatum est, *vivo ego*, id est tam certo, ac vere illud fiet, quam vivo. Metaphorice deinde a Mose hic proponitur, & explicatur judicium extremum, quod Deus exercebit in inimicos populi sui, quoniam captivos illos detinuerunt, & sanguines eorum biberunt, id est, eos continuis cædibus exhauserunt. Tunc ait, gentes cantabunt & laudabunt Israelem, ob perpessam constanter, & firma animi spe longam captivititatem. Tunc inquit, terra gaudebit quia in ea beatitudine & felicitate promissa fruetur populus Dei. Vel dicet, Deus condonabit peccata omnia populo suo, & terræ suæ. Moses itaque omnia, quæ post eventura sunt, hoc loco prædicit. Vnde inferre licet hæc sequentia dogmata. Primum, Tempus redemptionis hujus ignotum esse, solique Deo cognitum; attestante illud etiam Daniele.

Secun-

Secundum, Gog & Magog, eo fine ſerviturum, ut Deus populum ſuum iudicet; iuxta Ioelem, cap. XXXVII. Tertium, Poſt bellum iſtud mortuos ſuſcitatum iri. Quartum, ſtatim deinde ſecuturum diem iudicii. Quintum, Exinde felicia cuncta eventura tum terræ, tum populo ſancto. Itaque Moſes primus fuit, qui de extremo iudicio locutus eſt.

II. Eſaias ſecundus eſt, qui poſtremo capite prophetiæ ſuæ prope finem, mentionem facit extremi iudicii. Agens enim de renovatione mundi, ſubiicit ſtatim, probos ac pios homines, qui ſoli ex toto generis humani excidio ſuperſtites relicti erunt, humiliaturos ſe coram, Deo ſaltaturos, & viſuros in corporibus eorum, qui rebelles Deo fuerunt, vermem eorum non mori, & ignem eorum non extingui, eoſque omni carni faſtidio, ac nauſeæ eſſe. Nam intolerabilibus ſupplicis, & miſerandis cruciatibus in æternum afficientur, in conſpectu omnium, quicunque fuerint ex malis & impiis tum temporis relicti.

III. Malachias prolixe de hoc die agit, cap. IIII. verſu I. juxta illud, *Ecce dies veniens ardens, tanquam clibanus, & erunt omnes ſuperbi, & omnis faciens impietatem ſtipula,*

& inflammabit eos dies veniens, dixit Dominus exercituum, quia non derelinquet radicem ejus & ramum. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in alis ejus, & egrediemini, & crescetis sicut vituli saginati. Et conculcabitis impios cum fuerint pulvis sub plantis pedum vestrorum, in die quam ego faciens, dixit Dominus exercituum. Mementote legis Moseh servi mei, quam mandavi ei in Horeb super omnem Israel, statuta, & judicia. Ecce ego mittens vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis. Et convertet cor patrum super filios, et filiorum super patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate. Hoc judicium, quod Deum hic facturum dicit prophera, cum Sole duos habebit contrarios effectus, inimicos & hostes comburet, ac consumet, quia ii tam sicci atque aridi erunt, quam stipula: bonis vero ac probis erit veluti Sol salutaris. Siquidem defectus & maculas omnes corporum, quando suscitati erunt, sanabit. Suscitatos autem omnes, cum iisdem defectibus corporum suscitatum iri, jam ante diximus. Boni ac probi isti, inquit, tum temporis conculcabunt impios atque malos, qui eos, cum in vivis essent, pessime afflixerunt, & quasi pedibus suis conculcarunt. Quia vero iis

tam

tam ingens bonum eveniet ob legem Mosaicam diligenter custoditam. Ideo ait, *Mementote legis Mosis, servi mei*, *&c.* Addit deinde propheta Malachias, Deum ante diem illum magnum missurum Eliam Prophetam: sed non explicat, an Elias iste venturus sit ante vel post adventum Messiæ. Hæc caussa est, quod R. Moses Ægyptius hic dubius hæserit, neque alterutrum affirmare ausus fuerit. Sed & hac de re inter sapientes controvertitur. Quicquid sit, veniet præcursor aliquis, qui animos hominum flectat, ac probe disponat, ne terra anathemate percutiatur. *Halach. Malachim. cap. 12.*

IV. David ultimo versu Psalmi primi, similiter loquitur de hoc judicio, cum ait, *Ideo non consistent impii in judicio.* Quod Chaldæus Paraphrastes reddidit. ביומא רבא (*in die magno.*) Quod certe convenit cum eo, quod a Malachia dicitur.

V. Daniel in eandem sententiam dixit, futurum ut hi ad gloriam, illi vero in opprobrium resurgant, quia omnes ubi resuscitati erunt judicabuntur. Istud etiam Danielis quod legitur: *Judicium stabat, & libri aperiebantur*, de eodẽ judicio accipiendũ esse, Gerundensis, & R. Sehadiya arbitrantur. Porro judiciũ hoc juxta veterũ opinionẽ, absolvetur *Cap. 7.*

ac peractum erit tertio die, ac proinde in
Par. 56. Beresit Raba allegantur verba usus hujus;
Vivificabit nos a duobus diebus: in die tertia suscitabit nos; & vivemus ad facies ejus. Neque
Hoseah. 1. 6. 2. a vero id abludere videtur: quippe primo novi mundi die, mortui resuscitabuntur; secundo iudicabuntur; tertio alii assumentur in perpetuam gloriam, & gaudium; alii abiicientur ad perpetua dolores, planctus, & cruciatus. Atque ita tum innovato & in meliorem statum restituto mundo, pax & omnium bonorum quæ prophetæ prædixerunt cumulus erit ac cornucopiæ.

Cap. VIII.

An isto tempore futura sit templi instauratio, & terræ sanctæ distributio; an vero ante tempus istud?

QVando Israelitæ promissa pace, & tranquilitate in Palæstina fruentur; dubium non est, quin tum instaurandum sit templum, & terræ sanctæ distributio facienda: nam prophetia de ea re certa, & infallibilis est, quæ hactenus complementum non habuit: ac proinde post resurrectionem mortuorum implenda est. Hic enim Deus Ezechieli

chieli promittit cap.xliii.xix. *Et dabis sacerdotibus levitis, qui sunt de semine Sadok, qui accedunt ad me ait Dominus Deus, ut ministrent mihi vitulum filium bovis, ad sacrificium pro peccato. Et assumes sanguinem ejus, & panes super quatuor cornibus ejus, &c.* Hic certe promittit Dominus Ezechieli, futurum, ut suscitetur a mortuis, ac primus sumat sanguinem, eoque aspergat cornua altaris. Hoc utique completum non fuit tempore secundi templi: nam Ezechiel non ascendit Hierosolyma: sed mortuus in Babylone est, ibique sepultus ac terræ est mandatus. Verum enimvero ut manifeste liqueat rei hujus veritas, lubet proponere, & ex ordine cuncta ea referre, ex quibus evinci potest, prophetiam Ezechielis non completam esse tempore secundi templi, prout nonnulli volunt.

I. Ezechiel inquit, Et adduxit (Dominus scilicet) me ad atrium exterius, & ecce illic cubicula, & pavimenta, triginta cubicula in pavimento. In templo secundo illa non fuerunt. *Cap. 40 17.*

II. Et porta Septentrionalis, & per septem gradus adscendent in ea. Atqui in Mydot non legitur, nisi de quindecim gradibus secundi templi. *ibid. ver. 22.*

III.

ibi. ver. 39. III. In vestibulo portæ, inquit, duę mensæ aureæ ponentur. At hæ non fuerint in secundo templo.

ibi. ver. 47. IV. Et mensus est atrium: longitudo centum cubitorum, & latitudo centum cubitorum. Neque hoc de secundo templo verum est, quia hujus atrii longitudo erat cxxxv. cubitorum.

cap. 41. 22. V. Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo ejus duorum. Hoc de secundo templo dici non potest.

VI. Describit fabricam altaris, postquam templi & atrii formam descripsit. Atqui in templo secundo prius erat altare, in quo sacrificia offerebantur, quam exstrueretur templum.

cap. 44. 1. VII. Dicit unam portam clausam fore: at hoc in secundo templo, ita se habuisse non constat.

VIII. Sacerdotes, inquit, cum ingredientur portas atrii Septentrionalis, induant se vestibus lineis, non autem laneis. At contrarium obtinuit in duobus prioribus templis: nam lineis vestimentis sacerdotibus lana intertexta erat.

ibi. ver. 27. IX. In die, inquit, quo introierit in sanctuarium sive in atrium interius, ut ministret in eo, offeret oblationem pro peccato. Atqui

qui hoc præceptum non potest referri nisi ad tertium, quod erit, templum.

X. In divisione terræ partientur partem Domini de hæreditate omnium tribuum; partis autem divisæ erit longitudo xxv. millium, & latitudo x. millium cubitorum. Hoc nullo modo convenit secundo templo. Nam in eo divisio illa facta non est, neque tanta fuit magnitudo Hierosolymorum, neque latitudo vel amplitudo montis templi qui vocatur. *cap. 45. 1.*

XI. Principi, inquit, dabitur portio versus Orientem & Occidentem. Hoc in secundo templo non accidit. *cap. 45. 7.*

XII. Principi dabitur portio tritici, proventus olii, & olivarum. Neque hoc ibi factum fuit. *ibi. vers. 13.*

XIII, Mentionem facit sacrificii, quod Calendis primi mensis offeretur. Hoc etiam nunquam ante observatum est. *ibi. vers. 18.*

XIV. Princeps per eandem portam exibit, per quam ingreditur, excepto festo Paschatis: tum enim per aliam exibit, atque intraverat. Hoc in templo secundo usu non venit. *cap. 46. 10.*

XV. Si princeps donum aliquod dederit filiis suis, tale donũ, inquit, perpetuũ erit, neq; res donata unquã repetetur. Sed si dederit *ibi. vers. 16.*

donum

donum alicui e servis suis, illud reversurum anno Iubilæo ad Principem. Neque illud factum tempore secundi templi.

Cap. 47 8. XVI. Prædicit fontem oriturum ex Domini domo. Atque id tunc non accidit.

ibi. vers. 13. XVII. Terra dividetur XII. tribubus, quas nominatim numerat ac recenset. At quis non videt tempore secundi templi non rediisse decem tribus?

XVIII. Prædicit, quanta portio terræ cuique tribui distribuenda sit. Atqui hoc quoque nondum completum est.

ibi. vers. 22. XIX. Promittit peregrinis, qui ad Israëlem in captivitate versantem confugerant partem in terra sancta cum reliquis Israëlitis: quemadmodum etiam idem promittit Esaias cap. LVI. Atqui hoc sub secundo templo non est impletum.

Cap. 48. 31. XX. Vrbs Hierosolyma, inquit, non ita uti ante, soli tribui Iudæ & Benjaminis inhabitanda dabitur: sed terra sancta in XIII partes dividetur: XII partes cadent tribubus, ac decima pars quæ Hierosolyma erit, omnibus sine discrimine cedet. Hoc promissum procul dubio restat adhuc complendum.

Cap 48 35. XXI. Hierosolyma tunc, inquit propheta, ab omni urbis parte erit bis mille quingentorum cubitorum, & ambitus ejus constabit

ſtabit decies octies mille cubitis. At tempore ſecundi templi, civitas quarta parte minor fuit. Quare ſub tertio demum templo ut id impleatur, neceſſe eſt. Ad quod concurrent gentes ex omnibus mundi tractibus. *Et nomen civitatis, ex eo die, Dominus iſthic.* ibi. verſ. ult.

Confirmatur hæc ſententia per ea, quæ hujus operis capite diximus de diviſione terræ, futura demum poſt reſurrectionem mortuorum; & quidem idcirco, quia Deus ipſis Patriarchis terram promiſerat. Quare neceſſe eſt, ut ipſi etiam patriarchæ, & quiſque eorum pro ſe promiſſam ſibi a Deo portionem obtineant. Conſtat porro, Deum promiſiſſe Abrahamo, ſe decem nationes in manus ejus daturum eſſe, de quibus videre eſt Gen. xv. xviii. Omnes illæ ſunt devictæ ab Iſraelitis, præter tres gentes ſcilicet Ceſnæum, Cenizæum, & Cadmonæum. Inſuper Deuter. xix. viii. præcipit Dominus, ut tres civitates refugii addantur reliquis, quando terræ termini extendentur. Quare finis & terminus iſte poſt reſurrectionem mortuorum, & diviſionem terræ extendatur oportet, alioqui præceptum, ac mandatum Domini, uti ait R. Moſes, vanum & inane foret, quod dictu, aut creditu longe abſurdiſſimum eſt. Ex his igitur omnibus patet, quod

quod domus Domini Dei demum extruetur, ac dedicabitur, & terra sancta dividetur, post resurrectionem mortuorum, ut judicium extremum.

Cap. IX.

An resuscitati cibo & potu usuri, generationique prolis operam daturi, aliasque animales actiones exercituri sint.

EX eo quod hactenus constituimus de novo mundo, videlicet eum plane ejusdem futurum perfectionis atque excellentiæ cum primo mundo, in quo Adamus fuit, antequam peccaverat, consequitur, eos qui in isto mundo resuscitabuntur, iisdem animalibus ac naturalibus actionibus vacaturos & operam daturos esse. Ante lapsum Adamo licitum erat vesci de arbore vitæ, cujus tanta erat vis, ut humidum radicale consumptum, atque attenuatum instauraret, eumque a morte in perpetuum præstaret immunem. Adam etiam certus erat, etiamsi non peccaret, licere tamen sibi generandæ proli operam dare, & recte se facturum, quando liberis operam daret: quia nō erat verisimile, Deum in unius tantum hominis gratiam mundum condi-

condidisse, ut videlicet solus ille deliciis ejus frueretur. Sed & ipse ab Esaia dicitur Deus: *Ideo non creavit mundum, ut vacuus esset: sed ut inhabitaretur, eum formavit.* Cæterum omnes illæ actiones, tanta cum moderatione exercitæ fuissent, ut non alius earum scopus futurus fuisset, quam conservare vitam ad melius sanctiusque vivendum. Et generationis quidem, ad propagationem generis & specierum conservationem. Verum postquam Adam peccavit, eique Adamo vetitum fuit de arbore illa vesci, utendum illi necessario fuit æquiore & inefficaciore alimento: quod cum disparem ineptioremque humorem gigneret ab eo, quem sufficiebat arbor vitæ, ex eo factum est, ut temperamentum ejus immutaretur, ipseque ad carnales & sensitivi appetitus actiones proclivis redderetur. Hunc ipsum in modum meo iudicio cum resuscitatis comparatum erit. Non enim adeo crebro, uti nunc, opus habebunt cibo & potu uti: sed certis quibusdam temporibus, pro natura & vigore cibi succulentioris & efficacioris ad nutriendum, qui tum temporis erit. Eo autem cibo veluti oleo instaurabitur semper humidum radicale, ut alacres & vegeti robustique maneant. Hinc & matrimonia inter se contrahent,

Cap. 45 18.

& liberos procreabunt: at summa cum continentia & moderatione. Neque mirum id videri debet: nam scimus Eliam in virtute cibi istius quem sumserat, quadraginta dierum iter confecisse. Et Moses, aliique viri insignes tanto continentiæ dono præditi fuerunt, ut sese separarint ac continuerint ab uxoribus suis. Nec desunt, qui eo solum fine conjugio utuntur, ut sibi similem gignant, & postquam id consecuti sunt, ab uxoribus suis plane se continent. Quod si hoc tempore in hominibus tanta continentia, quanto major erit in futuro seculo?

Hoc ipsum ex eo quoque confirmari potest, quod resuscitati ab Elia, Elisæo, Ezechiele, ederint, & uxores duxerint. Cur itaque idem non fiet in seculo resurrectionis?

Hæc fuit opinio R. Sehadya Gaon, R. Mosis Ægyptii, R. Simhon bar Semah in libro suo Maguen Abot, & Isac Abravanel. Eam quidē refutat Gerundensis in opere suo Saar a-gemul, qui existimat in futuro seculo nulli actioni corporeæ locum fore. Cæterum, quod ad me attinet, hoc mihi verisimile, non videtur. Primo, quia Deus nihil frustra facit: at si id verum esset, tū frustra forent fructus, arbores, plantæ, quæ nutriendo & sustentando homini serviunt. Secundo, corpus

corpus nostrum resuscitatum eadem qualitate, ac conditione, qua ante præditum erit. Quare necesse etiam est, ut eosdem habeat affectus & inclinationes; aut ut membra corporis frustra esse dicantur. Ad hoc Gerundensis respondet, corpus humanum adeo exactæ, atque perfectæ compositionis esse, ut in se mirabilia quædam secreta contineat; ac proinde non implicare contradictionem, si idem numero, iisdemque qualitatibus præditum corpus, resuscitatum non eadem officia ac munia quæ solet, per membra ista præstet. Verum responsio hæc nemini facile satisfaciet: nam corpus hominis, eadem secreta etiam nunc habet, cum officium suum facit; & quis dicat, rem tum aliter se habituram esse? Certe ex sententia doctissimi, ac nobilissimi viri Isac Abravanel, omnino id sequendũ est, quod verisimillimum videtur. Quare cum homines resuscitandi sint iisdem corporibus materialibus induti, quod fatentur omnes; licet non æque compactis, & terrestribus: fieri profecto nequit, ut ii qui corporei sunt, non exerceant actiones corporales. Quid? an fidei ea natura est, ut nos cogat credere id quod rationi repugnat? Nequaquam. Itaque resuscitatorum actiones & functiones erunt eædem cum istis, quæ

nunc exercentur, etsi earum longe maior erit moderatio ac continentia. Si lubet etiam propius expendere sententiam antiquorum; apparebit eam plane cum hac nostra convenire: nam uti primo libro huius operis diximus, Aaroni cum resuscitabitur, decimæ (uti scriptura ait) dabuntur, & Patriarchis terra Palęstina, id est eorum singulis sua terræ istius portio adsignabitur. At vero si cibi ac potus nullus tum usus erit, quorsum dabuntur decimæ, & portiones suæ Levitis & Sacerdotibus? Accedat huc testimonium Esaiæ Prophetæ, qui postquam egit de innovatione, atque instauratione mundi, ait, cap. 65. 21. *Et ædificabunt domos, & habitabunt, & plantabunt vineas, & comedent fructum earum*. Et
Cap. 66. 10. deinde, *Lætamini cum Ierusalaim, & exultate in ea omnes, diligentes eam gaudete cum ea gaudio universi lugentes super eam. Ut sugatis, & saturemini ab ubere consolationum ejus, ut mulgeatis, & delectemini a splendore gloriæ ejus.* Hinc tribus versibus post rursum, *Et videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra tanquam herba germinabunt*. Ecce Propheta promittit hic gaudium corporale illis, qui super Hierosolymis luxerunt. Atque hæc quidem argumenta, partim a ratione, partim a S. Scripturæ, & antiquorum autoritate petita sufficiant, ad sententiam nostrã comprobandam.

Cæte-

Cæterum hæc ſententia nonnullis incerta, ac multis difficultatibus obnoxia eſſe videtur. Quærunt enim, ſi quis hic multas uxores duxerit, quæ nam ex illis in futuro iſto ſeculo uxor ejus propria erit? Item qui pluribus nupſit maritis, cuius mariti uxor tum erit? Similiter femina defuncto marito ſine liberis, ſi nubat iuxta legis præſcriptum leviro, ut ſemen defuncto ſuſcitet, eoque mortuo ſine liberis, ſi nubat tertio, & ita porro, cuius erit propria ac legitima coniux in reſurrectione mortuorum? Quanquã facile huic difficultati reſponderi poſſet, eaque nullo negotio ſolvi, admiſſa opinione Gerundenſis, qui non aliam, quam ſpiritualem vitam tum temporis fore exiſtimat, abſq; huiuſmodi carnis aut corporis actionibus: nihilominus tamen non eſt reiicienda, atq; improbanda ſententia, quæ veriſimilior videtur: poſito, uti diximus, tum eundem plane mundum futurũ, ſed reformatum tantum, & in melius reſtitutum. Sed hic conſultius forte quis dixerit ſilentio premere. Id quod verum quidem eſt, ſed periculoſe tamẽ dicitur; & tutius eſſe, quod ad has quæſtiones attinet reſpondere cum R. Iehoſuah ben Hanina Alexandrinis. Quando iſthoc ero, tum id ſciam: interea tamen, quia priſci & antiqui ſapientes hac de re controverſiam moverunt, neque quicquam tamen in ſcriptis ſuis ad

controversis hujus solutionem responderunt non abs re facturum me confido, si salvo doctiorũ iudicio, dicã id quod mihi verisimillimum esse videtur: absit modo invidia & arrogantiæ, quam a me longe abesse volo, suspicio. Nec enim aliud propositum mihi habeo: quam veritatem inquirere; atque opto ut de me quisque cogitet, quod olim de se ipso dixit vir longe doctissimus Hieronymus. Errare possum, Hæreticus esse nolo. Itaque respondeo, primam quæstionem facilius solvi, quam cæteras duas: nam juxta legem Mosaicam licebat cuique eodem tempore plures uxores simul, aut defuncta priore aliam ducere. At duæ sequentes aliquanto difficiliores sunt: sed tamen iis occurri potest commode, admissa opinione Cabalistarum in Zoar, quæ est, omnium animas spatio sex dierum creationis pares sive conjuges conditas esse, id est, animam maris, & feminæ pariter, ac conjunctim. Deinde hominem si mereatur & dignum se præstet jungi matrimonio cum suo pari: si demereatur aut indignum se præstet, jungi alii, quæ illi vice pœnæ, ac tormenti est, & a qua non nisi per mortem liberatur; aut si fæmina ista mereatur, conjungi tandem suo pari: si id non continget, eum semper hic a propria, ac naturali socia sejunctum ac separatũ vivere.

Paras. besalah.

Atque

Atque hoc innui ajunt Psalmo LXVIII. VII. *Deus facit habitare unos in domo, educit vinctos in compedibus : sed rebelles habitant in sicco.* *Vnos* inquit, id est, quorum animæ unitæ fuerunt in principio creationis, illos Deus jungit ac copulat matrimonio, faciendo ex illis domum. Qui ob peccata veluti vinculis constricti sunt, eos morte atque obitu alterius, ex carcere isti Deus eripit, si pœnitentiam factorum egerint; sed qui sunt rebelles, & in malo pervicaces, sine liberis, sine voluptate, steriles, & tristes vitam finiunt. Itaque cum animæ maris, & feminæ in principio creationis copulatæ, ac sociatæ fuerint, directa via unica cuique conjux propria, ac naturalis est, indirecta via aliæ omnes propter peccata impropriæ sunt. Hinc fit, inquiunt illi theologi, ut illi, qui in diversis urbibus, ac regionibus habitant, hac vel illa occasione ad se mutuo accidentes, connubio jungentur. Hinc etiam fit, ut quis pacifice, ac quiete vivat cum deformi conjuge, & contra cum formosa plenam contentionis, & rixarum tristemque vitam transigat. Idcirco ajunt, vera, ac propria matrimonia contrahi singulari ratione, per manum Dei; reliqua vero consilio, atque industria humana; uti Talmude, videre est in quo legimus, quod

percunctanti cuidam matronæ, quid Deus egerit, agatque post creationem mundi, R. Iofeh bar Halpeta responderit, matrimonio homines jungit. Quod illa risu excipiens, inquit, idem ego etiam præstare possim, ac statim connubiis junxit servos, servasque, quos domi suæ alebat. Sed haud ita multo post comperit, quantum distaret opus Dei ab opere humano: nam, quos conjuges fecerat, ii rixis & contentionibus inter se mutuo decertabant, & divellebantur a se invicem, uti in omnibus infaustis connubiis fieri solet. Itaque juxta hanc hypothesin concludimus, in futuro seculo, cum omnia in meliorem statum restituentur, etiam matrimoniorum reformationem futuram: quia unusquisque jungetur cum proprio ac destinato sibi conjuge, ac proinde beati & felices pariter concordi ac tranquillissimo ęvo fruentur. Cæterum quæ propria ac destinata cuique conjunx sit, ex matrimoniorū eventu aliquo modo conjici possit: tamen solius omniscii Dei est certo definere. Ille, uti Adamum de terra natum adduxit ad uxorem suam: ita etiam faciet cuilibet ex mortuis terræque gremio resuscitato, suam propriam conjugem ac sociam adsignando. Atque hac ratione, in eo quidem qualicumque judicio videtur hæc

quæstio

quæstio solvi posse. Proinde, licet quis cum diversis & variis sese connubio jungat, una tamen vera & propria ejus est conjux: eaque cuique dabitur in resurrectione mortuorum, uti diximus. Interea non possum non mirari, quæstionem hanc nec ab Isac Abravanel, nec quoquam alio Magistrorum nostrorum motam, & prout meretur, excussam esse.

Cap. X.

An in futuro seculo locus sit futurus libero arbitrio.

VErisimillimum est, Deum ea dona, quæ homini tribuit, ut mereri posset, non ablaturum esse in resurrectione mortuorum. Libertas itaque arbitrii etiam isthic erit, sic tamen ut voluntas eorum, qui ea præditi erunt, maxima ex parte ad virtutem prona, & proclivis, sit futura, rationisque ductui ac consilio paritura. Hoc ita esse, argumentis comprobari potest. Ac prima quidem, quia Adamus liber creatus est, & cum in hortis Edenis ageret, libero arbitrio præditus fuit. Sed Samael, sive Satanas invidens homini eam gloriam com-

commutavit se in serpentem, & eo perduxit Adamum, ut in peccatum laberetur. Huic malo, uti ante diximus, in resurrectione mortuorum non erit locus: nã Deus tum exstirpabit, & extinguet omnes spiritus malos. Secundo, quia corpus humanum optime dispositum erit, quasi opus quoddam, quod manibus Dei confectum est Ac proinde cum affectiones animæ soleant sequi temperamentum corporis, animæ etiam, corpore bene disposito, ad virtutem semper pronæ erunt. Tertio, quia animæ memores ejus, quod in vita hac vel præmium bene agendo consecutæ fuerint, vel pœnam male agendo, incurrerint, id operam dabunt, ut optime agant quo fæliciſsime vivant. Quarto, quia extremi judicii die conspicient, quomodo Deus puniat eos, qui improbe vixerunt: idcirco quam poterunt diligentiſsime curabunt, ne in simile judicium incidant. Ita ut miraculo fere simile futurum sit, siquis malus & improbus, præsertim ex Israelitis, tum reperiatur. Hoc multis scripturæ locis confirmari potest. Etenim Moses inquit, *Et Deus circumcidet cor tuum.* Esaias, *Et tu popule omnes illi justi.* Zephonias, *Superstes ex Israele non faciet iniquitatem.* Ieremias, *In tempore illo vocabunt Ierusalaim solium Domini, &*

Deut. 30,6.
Cap. 60. 21.
Cap 3. 10.
Cap. 3. 17.

ni, & non ambulabunt amplius post duritiem cordis sui. Et alibi, *In tempore illo quæretur iniquitas Israel, & non ipsa; & peccata Ieudah, & non invenientur.* Ezechiel, *Et spargam super vos aquas mundas.* Ex his liquet vitam illam sanctissimam & integerrimam perfectissimarumque virtutum plenam futuram; & si quem forte continget peccare, eum vel a parentibus suis propriis vulneratum & confossum iri, uti ante ex Zecharia ostendimus. Et quemadmodum Esaias ait, *Peccator filius centum annorum maledicetur.* Neque vero credendum est, quando dicimus peccato ibi locum esse posse, id pugnare cum eo, quod prophetæ passim dicunt, unicum Dei cultum ibi futurum, & omnes a minimis ad maximos Deum cognituros esse. Hac enim locutione nihil aliud indicatur, quam nullam ibi idololatriam locum habituram: sed omnes uni tantum ac soli Deo vivo adhæsuros esse. At ei non repugnat dicere, istic peccatis quibusdam levioribus, & minoribus locum futurum: nam uti diximus, Deus non auferet homini liberum arbitrium, quæ fuit opinio R. Sehadia. Adjungamus nunc his probatam ab omnibus doctoribus nostris sententiam, quod lex Mosaica nunquam superinducta alia lege mutabitur, vel

Cap 50. 20.
Cap. 36. 25.
Cap. 65.

vel irrita fiet; atque hoc fine a Malachia, ubi de die judicii agit, dictum fuerit, *Mementote legis servi mei, quam dedi illi in Horeb.* Quod si igitur tum libero arbitrio locus non erit, quo fine præcepta dabuntur resuscitatis? nulla eum spes præmii bene agentes, vel metus pœnæ delinquentes maneret? Quare concludimus, resuscitatis libertatem arbitrii relictum iri; sic tamen, ut maxima ex parte proclives futuri ad virtutem, & si quis peccet, monstri similis, & maledictus in terra sit futurus.

Cap. 4. 4.

Cap. XI.

An resuscitati denuo morituri sint.

UT quæstionem hanc solvamus, inquiramus oportet, an Adamus si non peccasset, moriturus fuisset, an vero immortalis semper vixisset? Cabalistæ R. Moses Gerundensis, & R. Meyr Gabay, aliique plures statuunt, Adamus si non peccasset, semper victurum fuisse, etiamsi ea corporis e materia compositi conditione esset, ut mori posset; per lapsum vero sive peccatum morti necessariæ subjectum fuisse. Hæc sententia mihi videtur convenire non modo cum autori-

toritate Sacræ Scripturæ, & antiquorum: sed etiam cum ratione, & experientia. Quod ad Sacram Scripturam attinet, manifestum hoc est ex præcepto Dei, Adamo dato. *De arbore scientiæ boni & mali non comedes: nam in die, quo ederis ex illa morte morieris.* Gen. 2. 16. Hic certe constat pœnam Adamo peccaturo interminatam fuisse mortem corporalem. Atque hinc erat, quod Dominus Adamum paradiso directurus angelos alloqueretur in hunc modum: *Ecce homo sicut unus ex nobis, ad sciendum bonum & malum; Et nunc ne forte mittet manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in seculum. Et emisit eum Dominus Deus de hortis Hedenis.* Gen. 3. 22. Quasi diceret. Nihil obstabit quo minus Adamus, quando solam cognitionem boni tantum habebat in statu innocentiæ, in æternum in terra viveret, quia anima ejus isthic fælix ac beata erat futura: sed nunc, quoniam per lapsum comparavit sibi cognitionem boni simul & mali, non est æquum ut in æternum vivat. Quod si relinquamus eum in Paradiso, forte quia libero arbitrio præditus est, extendet manum suam, & comedet de arbore vitæ, atque ita vi fructus istius, qua tantum restituitur, quantum de humido radicali consumptum est, semper vivat. Quare consen-

consentaneum est, ut ejiciatur foras, & morte ista corporali afficiatur, cujus se reum reddidit. Itaque si non peccasset, ejus arboris subsidio, ac beneficio indesinenter, ac perpetuo vixisset. Ac similiter sensit clarissimus vir, & ut ingenio doctrinaq; ita humanitate summus, Simon Episcopius, in Apologia, sive in examine censuræ ca. 3. Eadē fuit antiquorū sapientū sententia. Sic enim in Beresit
Para 9. Raba, a R. Hana Bar Hanina, hoc dictum legitur ראוי היה אדם הראשון שלא יטעום טעם מיתה (Dignus erat primus Adam, qui non gustaret saporem mortis.) Et porro ubi rationem dat, cur pœna duplicato verbo proferebatur *mo-*
Par. 16. *riendo morie is.*) מות תמות מיתה לאדם מיתה לחוה מיתה לו מיתה לתולדותיו (Moriendo morieris, mortuus est Adam, mortua est Eva: defunctus est ille, defuncti sunt posteri ejus.) Pœnæ itaque rationem habuit mors. Similiter adversum il-
Par. 21. lum, *Ecce homo sicuti unus ex nobis*, ait R.
Gen. 3. 22. Papus כאחר ממלאכי השרת (sicuti unus ex angelis ministerii) Hoc est perpetuus in individuo. Et R. Berahya explicatius idem illud exprimit. כאליהו מה זה לא טעם טעם מיתה אף זה לא היה ראוי לטעום טעם מיתה (Id est tanquam Elias: nam sicuti ille non gustavit saporem mortis, ita etiam par non est, ut ille gustet saporem mortis) In Va-
Par. 22. yera Raba, R. Ieuda, & R. Nehamiha ajunt,

אם יאמר לך אדם שאלו לא חטא אדם הראשון ואכל מאותו העץ היה חי וקיים לעולם אמור לו אתה כבר אליהו שלא חטא הוא וקיים לעולם (Quærat aliquis, ſi Adamus non peccaſſet, neque comediſſet de arbore, an vixiſſet ſemper, & valuiſſet? Reſponde illi, jam fuit Elias: hic quia non peccavit, idcirco vivit, & incolumis eſt ſemper.) Id eſt, ex Eliæ exemplo conſtat, Adamum, ſi non peccaſſet, perpetuo victurum fuiſſe. In Semot Raba id ipſum quoque confirmatur, מפני שבטל צווייך הבאת עליו מיתה (Quoniam præceptum tuum nihili fecit, ideo induxiſti ſuper illum mortem.) Accedat huc graviſſimum teſtimonium libri Zoar, in quo hujuſmodi verbis ſcriptum legitur. אשכחנא בספרא רחנוך דלבתר רסליק ליה ואסמיה ליה גנזיה עלאי ותתאי אחזיה ליה אילנא דאיתפקד עליה אדם וחמא דוכתיה דאדם בגנתא דאילמלא נטר אדם פיקודא דא דיכיל לקיימא תדירא ולמהוי תדירא הוא לא נטר פיקודא דמאריה נפק בזימום ואיתענש (Comperimus in libro Hanochi, Deum illi, poſtquam ſuſtuliſſet eum in ſublime, & oſtendiſſet ei omnes theſauros ſuperiores, & inferiores, monſtraſſe etiam arborem vitæ, & arborem illam quam interdixerat Adamo; & vidit locum Adami in Paradiſo, in quo, ſi Adamus obſervaſſet præceptum illud, vixiſſet perpetuo, & in æternum manſiſſet. Sed quia non obedivit præcepto Domini ſui, ideo damno ſuo *Par.* 15 פ

ſuo ejectus, & punitus eſt.) Hanochus itaque juxta illud dictum primus hujus veritatis teſtis exſtitit. Nam quia is nullum vitium & peccatum commiſit, idcirco a morte præſervatus eſt. Alter eſt Elias. Itaque Adamo, ſi non peccaſſet, eadem ſors contigiſſet. De hoc Hanocho refert Targum Ionathan ben
Gen. 5. 24. Vziel, ad verſum illum, *Et ambulavit Hanoch cum Deo, & non ille, quia ſuſtulit eum Deus.* ופלח נח בקושטא קדם יי והוא ליתוהי עם דיורי ארעא ארי איתנגיד וסליק לרקיעא במימר קדם יי וקרא ית שמיה מטטרון ספרא רבא (Et ſervivit Hanochus in veritate coram Deo; *& ille non ille*, cum habitatoribus terræ: nam ſublatus fuit, & aſcendit in cœlum, ex mandato coram Domino, & appellatum eſt nomen ejus Matatron ſcriba magnus.) Conſtat itaque ex veterum autoritate, Adamum non fuiſſe moriturum, ſi non peccaſſet.

Ratio quoque idipſum docet, quia mortis cauſa eſt, vel interior, id eſt alimentum per os aſſumptum; vel exterior, id eſt aër, calor, frigus, & id genus alia. At ab his Adamus metuere opus non habebat: nam fructus & arbor vitæ, ex qua veſcebatur, gratiſſimi ſaporis erant, & non modo non debilem atque infirmum hominem reddebant: ſed & longævam & perpetuam vitam ei ſufficiebant.

ficiebat. Et cum viveret in paradiſo, loco amœniſſimo, in aëre temperatiſſimo & gratiſſimo, ubi ſine ulla alteratione ſaluberrimum ſemper ævum ducebat, quis dubitat ſublata mortis cauſa non etiam effectum ejus ſublatum fuiſſe? Videmus etiam poſteros Adami aliquamdiu valde longævos fuiſſe, & paulatim magis, magiſque ævum hominis declinaſſe & imminutum eſſe, uſque dum in ſeptuaginta, vel præterpropter annis terminus ejus ſtare cœpit. Quod profecto non caret ratione. Nam Adamus natus erat immortalis, & quanquam peccato mortalem ſeſe reddiderat: non propterea tamen omnẽ ſtatum corporis vigorem, ac robur primigenium perdidit: ſed quemadmodum opulentus aliquis, qui bonis, divitiis, & fortuna ſua excidit, nonnihil tamen aliquando ex ſplendidiore ſupellectile retinet, tantumque reliquum ſervat ex bonis ſuis, ut mediocriter cum liberis ſuis vitam tolerare poſſit; ſic etiam Adamus non ita vigore omni corporis exutus fuit, ut non poſteri ejus aliquamdiu vigoris iſtius participes fuerint, etſi paulatim magis magiſque vigor iſte decreverit, tantoque plus defecerit quanto a radice receſſit longius; unde factum eſt ut deficiente vigore ac robore illo primi parentis, hominũ vita brevior, contractiorque reddita fuerit.

Accedat huc experientia, qua edocti ſumus, Hanochum & Eliam non eſſe mortuos; Moſem vero contra mortuum eſſe. Siquis hujus rei cauſam ſcire velit, dicendum omnino eſt, hunc peccaſſe, illos autem neutiquam vitiis ſeſe polluiſſe. Nam uti antiqui ajunt אין מיתה בלא חטא (non eſt mors abſque peccato.) Itaque ſi Adamus non peccaſſet, non fuiſſet mortuus. Quod ſi ita eſt, uti eſſe revera oſtendimus, certiſſimum eſt eodem modo ſe rem habituram in futuro ſeculo poſt reſurrectionem mortuorum. Nam juxta opinionem R. Sehadya Agaon, & R. Moſis Gerundenſis, aliorumque ſapientum, iſti non redigentur unquam in cineres & pulverem, ſed multis annis poſt, corpore & anima ſimul transferentur in Paradiſum, in quo Hanochus & Elias ſunt. Opinio hæc eſt inter veteres receptiſſima, de qua legere eſt in tractatu Sanhedrin Viene. תנא דבי אליהו צדיקים שעתיד הק' בה להחיות שוב אינן חוזרין לעפרן שנאמר והיה הנשאר בציון והנותר בירושלים קדוש יאמר לו מה קדוש לעולם קיים אף הם לעולם קיימים (Legitur in domo Eliæ, quod juſti illi, quos Deus benedictus reſuſcitaturus eſt, nunquam revertentur in pulverem, iuxta illud, *Et erit ut qui maneat in Zion, & remanſerit in Ieruſalaim, ſanctus dicetur ille.* Vti enim ſanctus ſemper vivit, ita & illi ſemper vivent.)

vivent.) Certiſſima, ac veriſſima hæc ſententia eſt. R. Aquiba idem quoque teſtatur in libro ſuo, quem fecit ſuper literas מלמה
שעתיד הק"בה להראות לכל הצדיקים שמו ונותן להם כוס של חיים כדי
שיהיו קיימים לעולמים (notum ſit tibi, quod Deus benedictus paratus ſit oſtendere omnibus iuſtis nomen ſuum, & dabit illis vas vitæ, ut vivant in æternum.) Item in Midras Salmedanu legitur לעולם הבא אני נגלה בכבודי על כל ישראל
והם רואים אותי וחיים לעולם. (in mundo futuro, ego (inquit Dominus)manifeſtabo honorem meum ſuper totam Iſraëlem, & illi me videbunt, & vivent ſemper.) Item Eſaias ait, *Damnabitur mors in æternum*, Et Daniel, *Illi ad vitam æternam*, *&c.* Ex quibus omnibus liquet, reſuſcitatos non iterum morituros eſſe.

Sciendum tamen eſt, clariſſimum virum Iſaacum Abravanelem, & ante illum R. Moſem Ægyptium, plane in contraria opinione fuiſſe: nimirum reſuſcitatos denuo morituros eſſe, & animas eorum a corpore liberas ac ſolutas in mūdo animarum feliciter, ac beate victuras. De hac vita Danielem loquutum eſſe aiunt; & quod ab Eſaia dicitur, id explicant de morte accidentali aut præmatura. Hinc R. Moſes ſtatuit, Meſſiam ben David moriturum eſſe, & filium ſucceſſo-

rem imperii sui habiturum; ei mortuo successurum nepotem, & sic deinceps sceptrum, ac regalem dignitatem in posteris eius permansuram. Hanc autem sententiam in eo fundant, quod dicunt Adamo, qua ex quatuor elementis constabat, naturali quadam necessitate aliquando moriendum fuisse. Sed vero opinio hæc non est accepta, neque probata a quoquam: nam ne dicam eam pugnare cum autoritate S. Literarum, & veterum sapientum (uti ante ostendimus) non est etiam verisimilis, sicuti ex sequentibus argumentis liquebit. Etenim R. Moses statuit cœlum constare ex materia & forma, quia credit animatum esse. Deinde sentit, mundum etsi habuerit principium, nunquam tamen habiturum esse finem. Id si ita est, cur quæso homini tribui non possit, quod moriturus non sit, quanquam constat ex materia & forma? Si dicunt cœlum compositum esse ex quinta quadam essentia, uti placet Aristoteli, vel ex puriore substantia, quam hominis est, ac proinde cæli durationem æternam, hominis temporariam fore: Respondemus, cœli splendorem, ac puritatem cœlesti splendore similem fuisse in Adami corpore ante lapsum, & corporibus futurum omnium, qui a mortuis resurgent,

juxta

juxta illud Danielis, *Et intelligentes relucebunt tanquam claritas cœli.* Vt jam ne dicam, quod ista Aristotelis sententia probationis indigeat. Sunt, qui existimant cœlum compositum esse ex duobus contrariis elementis, aqua & igni; propterea dici ſamaim) quasi אש מים (Es Maym) id est, ignis, & aqua. Deinde quanquam ex se, & natura sua corpus est mortale, ac corruptibile: duæ tamen res sunt, quæ illud æternum ac perpetuum efficere possint, anima scilicet, & diligens præceptorum divinorum observatio. Anima ob nobilitatem suam (uti ostendimus in Problem. nostris de creatione mundi) excellentior, ac longe dignior cœlo est. Et si anima Deo ita volente anima aliquamdiu in corpore humano existens, corpus conservet vivum ac superstes: quid obstat, cur si eadem anima eo ita volente denuo corpori jungatur, non possit illud perpetuo vivum cõservare? An forte negabitur vitã corporis pẽdere ab unione, ac præsẽtia animæ? Quare beneficio animæ, corpora resuscitatorum in æternum, ac perpetuo viva servabuntur. Hedet sedula, atque accurata præceptorum divinorum observatio hominem æternum efficere potest. Idcirco ab antiquis dicitur, Israelitas eo tempore, quo lex ferebatur,

rediisse ad eum statum, in quo Adamus era
antequam peccabat, eosque si non confla
sent sibi vitulum, mortem sensuros non f
isse. Hinc in Semot *R*aba legitur י המתינו
י׳ למשה ולא היו עושים אותו מעשה לא היתה מלכות ולא מלאך המות
שולט בהן (Si Israelitæ exspectassent Mosen
& non commisissent tam ingens crimē, nu
lum regnum, nullus angelus mortis, in ill
dominatus fuisset.) Ad hanc rem compr
bandam adducunt illud Psalmistæ, *Ego di
dii vos, & filii excelsi omnes vos: sed tanqua
Adam moriemini.* Id est, Deus constituera
ut æternum illi viverent, instar angelorum
sed quoniam vitulum sibi effinxerant, eoqu
graviter peccaverant, idcirco aliter qua
Adamus, vitio ac peccato suo, immortal
tate exciderunt, ac mortales redditi sun
Præterea homini corporis compages con
stat, juxta veterum opinionem, ex CCXLVII
membris, pro CCXLVIII præceptis affirmat
vis; & ex CCCLXV nervis, pro CCCLXV præ
ceptis negativis. Hoc multis doctissimis vir
ostensum est verissimum esse. Quid aliu
eo adumbratur, quam per præcepta illa, ve
luti partes constituentes coporis huma
structuram, homines beatos atque immor
tales effici posse? certe sic ait ipse Dominus
*Et observabitis præcepta mea, qui fecerit ea ho
me*

mo & vivet in illis. Nil obſtat, cur hoc non intelligatur de vita corporali. Nam, quemadmodum diximus, Hanochus & Elias, quia non peccarunt, idcirco non ſunt mortui. Itaque ſi illo ſeculo nemo peccaverit, nemo etiam morietur. Nam juxta veterum ſententiam, אין מיתה בלא חטא (Non eſt mors abſque peccato, neque pœna abſque delicto.) Et R. Hanina occidens calce porcum ſylveſtrem, qui multos læſerat & dilaniaverat, hanc ſententiã protulit אין ערוד ממית אלא החטא ממית (porcus montis non occidit, ſed peccatum occidit.) Idcirco Hanoch & Elias, quia multis ſordibus peccati ſeſe inquinaverant, non ſunt mortui. Quare cum antiquis concludimus eos, qui reſurgent, non morituros eſſe: ſed poſt multos annos, quibus vixerint, cum corpore, & anima in terreſtrem paradiſum vel in cœlum tranſlatum iri, inſtar Hanochi & Eliæ, ut ibi ſine ulla actione, aut paſſione humana feliciſſime vivant. *Berachot Cap. 5.*

Nunc reliquum tantum eſt, ut videamus, an ea, quæ hactenus a nobis dicta ſunt, generaliter intelligẽda. Antiqui õnes unanimi cõſenſu teſtantur eos, qui ex Iſraelitis reſurrexerunt, nunquam morituros eſſe: quod probant ex Eſaia: *Non ædificabunt, & alius habitabit; non plantabunt, & alius comedet, quia* *Cap. 65. 22.*

ſecundum dies arboris, dies populi mei. Vbi addit Targum Ionathan ben Vziel, ביומי אילן חייא (tanquam dies arboris vitæ.) Ita etiam ſentit *R.* Selomoh, nam per illud ה demonſtrativum, quod העץ (arbori) additur, ſignificari putat immortalitatem illam, cujus tum homines participes erunt. Etenim ſi Adamus ediſſet ex arbore vitæ, in æternum vixiſſet. Vnde cum exactus eſſet ex Paradiſo, inquit
Gen. 3. 22. Dominus, *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & vivat in ſeculum.* Hic itaque ſimiliter Deus promittit populo ſuo æternam, ac perpetuam vitam, qualis Adami fuiſſet, ſi ex arbore illa victitaſſet. Itaque quod ad reſuſcitatos ex Iſraele attinet, liquet ex conſenſu antiquorum, eos non morituros amplius. Quod vero ad reliquos attinet, ſuper eo diſputant.
Par. 26. Hinc in Bereſit Raba legitur אמר רבי חנינא אין מיתה לעתיד לבא אלא בבני נח בלבד ר"י בל אומר לא בישראל ולא באומות העולם (Non eſt mors in futuro ſeculo, inquit R. Hanina, niſi in filiis Noachi tantum. R. Ieoſuah ben Levi inquit, neque in Iſraele, neque in reliquis nationibus mundi.) In tractatu Sannedrin concluditur illa quæſtio, pro
Cap. 11. R. Hanina, hunc in modum עולא רמי כתיב בלע המות לנצח וכתיב בן מאה שנה ימות לא קשיא כאן בישראל כאן באומות העולם (Hula argumentatur, contradictio duorum ver-

versuum, quibus perscriptum est, *Perdet mortem in sempiternum*, & ubi scriptum est, *centenarius morietur*; nihil difficultatis habet: quippe prius intelligendum est de Israelitis; posterius vero de nationibus mundi.) Nihilominus tamen, qui sese ex gentibus aggregaverint populo Dei, vel septem præcepta Noachi diligenter observaverint, ex sententia R. Hanina, iisdem privilegiis atque Israelitæ fruentur; juxta illud, quod ante etiam retulimus, Esa. 25. 8.

(Piæ nationis mundi partem obtinebunt in futuro seculo. Neque ulla difficultas sita est in verbis illis Esaiæ, *Perdet mortem in sempiternum*. Nam id ex opinione R. Hanina, intelligendum est, de solo populo Dei, vel de illis, qui vere, & syncere Deum coluerunt. Quisquis enim non peccaverit, is etiam non morietur; nam peccatum, uti demonstravimus) causa mortis est. Atque ita quidem omnes quæstiones videntur esse solutæ.

Non adeo mihiblandior equidem, ut non sæpe cogitem, ad præsens hoc argumentum plene ac perfecte tractandum, sublimiori ingenio, & majori industria quam exigua mea opus esse: sed consolor me antiquissima veterum sententia אחד המרבה ואחד הממעיט ובלבד שיכון לבו לשמים (Tantum præstat is qui

 mul-

multum agit, quantum is, qui parum agit, si modo animam divinæ gloriæ intentum habeat.) Certe scopus, quem mihi propositum habui, bonus fuit, minimeque vituperari meretur: nam semper studui ad verum collimare, & celebriorem reddere nominis divini gloriam, ac proinde etiam spero opus hoc meum æquioribus rerum æstimatoribus gratum, acceptumque fore. Meos autem obnixe rogo & oblector, ne laborem & studium meum vitio mihi vertant. Confido enim eos, si dignabantur hæc mea legere & perpendere, animo æquo & magis prono ad probandum, quam vituperandum (uti a veteribus faciendum esse præcipitur) reipsa comperturos esse ea, quæ hoc opere tractavi, non temere, sed præmeditate, & magna animi cum attentione conscripta, nec non commodissima methodo elucubrata esse. Sed converto me ad Dominum Deum benedictum, eumque supplex rogo, ac veneror, ut me ducat in cognitionem suæ veritatis;

Psa. 119 33. *Doce me Domine viam statutorum tuorum, & custodeam eam usque in seculum.*

Index

INDEX RERVM ET VERBORVM.

Ioel,

Mendæ Typographicæ, quæ per incuriam aut errorem hic illic inciderunt.

Pagina 1, lin. 23, albo expunctos, lege *Albo Israelitarum expunctos*. ibid. lin. 24, dele *ex Israelitarum*. pag. 2, lin. 9, dele *ratio ac via*. pag. 3, lin. 3 qua, lege *qui*. Pag. 7, lin. 15, cantabit, lege *cantavit*. Pag. 25, lin. 12, & veritate, lege ex. pag. 41, lin. 28, dele *eum*, pag. 49, lin. 12, earum natura, lege *rerum natura*, pag. 56, corpoream rem, lege *corporeum* tantum, pag. 67. lin. 16, uti pracipuis, lege *utiex*, pag. 6, lin. 6, Patriarchæ, lege *Patriarchas*, pag. 70, lin. 4, frustra, lege *tristia*, pag. 76, lin. 9, reperita, lege *reperiat*, ibid. lin. 24, quam, lege *quia*, pag. 79, lin. 18, enim tertia, lege *enim ex*, pag. 103, lin. 15. in multis, lege *multos*, pag. 150, lin. 18. docta, lege *dicta*, pag. 171, lin. 10, inferes, lege *inferiores*, pag. 172, lin. 25, A Halicisque, lege *Attalicisque*, pag. 174, lin. 23, inditur, lege *induntur*, pag. 182, lin. 1. puncta, lege *punita*, pag. 189, lin. 20, Hebræorum dicimus, lege *Hebræorum sententia dicimus*, pag. 212, lin. 20, nec enim, lege *hoc enim*, pag. 228, lin. 15, oblivionis, lege *ex oblivionis*, ibid. lin. 16, dele *vita*, pag. 230, lin. 9, esse felici, lege *vel felici*, ibid. lin. 24, vidi unā, dele *vidi*, pag. 269, lin. 3, ille, lege *illud*, pag. 272, lin. 16, quodque, lege *quo*, pag. 321, lin. 13, æquiore, lege *meliore*, pag. 327, lin. 20, accidentes, lege *accedentes*, ibid. lin. 21, jungentur, lege *jungātur*, pag. 332, lin. 6, enim, lege *enim*, ibid. lin. 10. proclives futuri, lege *proclives sint futuri*, ibid. lin. 20, Adamus, lege *Adamum*, pag. 333, lin. 16, directurus, lege *erecturus*, pag. 334, lin. 5. in Apologia, adde *sua uti existimo*.

10-2-